MASTER NEGATIVE NO. 92-80523-12

AUTHOR:

SCHANDAU, ROBERTUS

TITLE:

DE ISOCRATIS DOCTRINA...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

Master Negative #

92-80523-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG92-B13536         Acquisitions      NYCG-AE
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B13536          RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:       AD:02-26-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:     UD:02-26-92
  CP:xx      L:lat     INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:n     PD:    /             REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????    II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:           COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Schandau, Robertus.
  245 10  De Isocratis doctrina rhetorica et ethica‡h[microform].‡bDissertatio i
          nauguralis philologica quam...‡cin publico defendet Robertus Schandau.
  260     Vratislaviae,‡btypis C. H. Storchii et Socii.
  LDG     ORIG
  QD      02-26-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-2-92   INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
ISOCRATIS DOCTRINA RHETORICA ET ETHICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIX, HORA XI
IN AULA LEOPOLDINA
IN PUBLICO DEFENDET

ROBERTUS SCHANDAU
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

E. PLUNTKE, CAND. PHIL.
G. SCHMEISSER, STUD. PHIL., SEM. PHIL. SOD.
W. MILDNER, STUD. PHILOS.

VRATISLAVIÆ,
TYPIS C. H. STORCHII ET SOCII.

MANIBUS MIDDELDORPFII

ATQUE

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM.

Δίδου παῤῥησίαν τοῖς εὖ φρονοῦσιν, ἵνα περὶ ὧν ἂν ἀμφιγνοῇς, ἔχῃς τοὺς συνδοκιμάσοντας.

Ἄκουε τοὺς λόγους τοὺς περὶ ἀλλήλων, καὶ πειρῶ γνωρίζειν ἅμα τούς τε λέγοντας, ὁποῖοί τινές εἰσι, καὶ περὶ ὧν ἂν λέγωσιν.

Isocr. ad Nicoclem 28.

Praefatio.

Si quis forte miratur cur in talem campum descenderim, in quo spectatissimi homines palmam non tulerint, ei in hac me ipsa quaestione mentis contendisse vires respondeo, ut Isocratem contra sententias a B. G. Niebuhrio [1]), Sauppio [2]), Spengelio [3]), aliis viris [4]) doctissimis non sine summa reverentia nominandis expositas, qui tela infesta, ut ita dicam, in rhetorem nostrum tulerunt, defenderem. Cujus in opera accuratius perspicienda quum operam et studia convertissem ex longo tempore iis usus haud mediocrem rerum tum ad elocutionem, tum ad inventionem pertinentium thesaurum in iis esse reconditum satis intellexi. Sed animo meo cum reputassem quaenam quaestionum Isocratearum partes adhuc neglectae aut certe non satis idonea cura ac diligentia essent tractatae, proponendum

---

[1]) Niebuhr: „scholae hist. et philol. Bonnae habitae“ ed. Berol. 1847—1851. — [2]) cf. commentt. ant. litt. 1835. pag. 403—11. — [3]) Leonhard Spengel: *συναγωγὴ τεχνῶν*. Stuttgardtiae 1828. — [4]) Barthelémy: Anach. per Graeciam iter: interpret. III. pag. 145—162. Hardio XII. dissertt. in: Mémoires de la littérature de l'Académie des Inscriptions. C. O. Mueller litt. gr. vol. II. 1857.

mihi visum est, ut omnibus iis, quae accurata jam testimoniorum veterum et recentiorum philologorum criticorumque observatione et comparatione contineantur [1]), omissis quaestionem hucusque sparsim ac tantum in transcursu adumbratam instituerem. Isocrates enim: I. quid de dignitate consilioque artis rhetoricae seu philosophiae senserit, II. quid de ethicis notaverit, peculiari opere plenius ac dilucidius, quam hoc factum est, illustrem et quam maxime absolvam. Cujus rei difficultatem perspiciens et meae ipse tenuitatis conscius tantum abest ut mihi utpote juveni neque in literis admodum versato neque ad hanc quaestionem perficiendi spe aggresso, laudem minimam temere vindicem, ut lectores, si forte errantem me tentandi solum cupiditate captum deprehenderint, ad ignoscendum propensiores redditos velim.

Jam ad ipsam quam proposuimus rem ut cum fructu accedere possimus, instituta, mores aetatis illius, qua vixit Isocrates, et eorum, qui ejus aequales fuerunt, ingenium quoque habere nos oportet cognitum et perspectum: atque hoc quidem eo magis faciendum, quo certius est, his insignem quandam inesse efficacitatem ad perspiciendam scriptoris indolem, quam natura ei tribuit, studium auxit et exercuit.

Artem dicendi apud omnes quicunque humanitati fuerint dediti populos aliquo in usu semper fuisse quis est qui neget? Qualiscunque fuerit civitatum status et condicio, nunquam prorsus evanuit eloquentia illa, quae quidem in causis privatis agendis versatur. Quod quum verum sit, per se tamen facile cognoscitur et fide historiae affirmatur, artem rhetoricam universam laete efflorescere omnibusque partibus excultam vigere ac florere non posse nisi in civitatibus aut

[1]) Inspicias: Engelmann, bibl. auctt. class. et Graec. et Rom., Lips. 1858 p. 209—212. Cf. J. S. Ersch et J. G. Gruber: Enc. disciplina litt. et art. sect. II. s. v. Isocr. Aug. Pauly: class. litt. enc. Stuttg. 1846. vol. IV. pag. 304.

liberis aut, ut ita dicam, in quibus principis potestas certis sit terminis circumscripta. Quibus in civitatibus quum omnes salutis communis teneantur studio neque cuiquam quid sentiat de publicis rebus libere ingenueque dicere crimini sit, summam is inter cives obtineat auctoritatem, qui optima possit probare, necesse esse quis est quin habeat persuasum? Qua de causa minime mirandum est quod ab Atheniensibus inde a Periclis aetate, ex quo tempore summa utebantur libertate, cum etiam a natura insignibus ingenii facultatibus essent praediti, bene dicendi scientia summo studio prosperrimoque cum successu culta, perpolita brevique tempore summam ad perfectionem est adducta. Prae omnibus enim Graeciae civitatibus Athenae per victorias illas de Persis praeclarissime reportatas, horum spoliis locupletatae, copia viribusque florentes ad se allexerunt quotquot sibi aliquid valere videbantur in artibus atque omni doctrinarum genere. Quid? quod populari imperio dilatato etiam inferiores civium ordines quum reipublicae administrandae facti essent participes, inter omnes artes ac studia et forensia et domestica ars oratoria ad eum usque gradum provecta est, ut in hodiernum diem summa cum admiratione efferatur.

Effrenatus enim libertatis amor in omnes rerum civilium conditiones effusus magnam illam exsuscitavit virium fiduciam, ut omnes cognitionis loci mira sagacitate exquirerentur. Nec mirum igitur, quod etiam a pristina philosophandi consuetudine deflexerunt iique, qui antea naturae investigandae et indagandae totam navaverant operam, tum ultra eam prospicere tentabant. Quod quidem studium eo processit, ut paulatim mutaretur in eas contentiones, quas more philosophorum sophisticas significari licet. Nomen sophistarum, quo ab initio viri tantum docti nominari solebant, sub finem seculi a. Chr. quinti in omnium eorum virorum significationem abiit, quibus novam doctrinam in scholis publicis lucri causa juventuti mandare et in diversissimo vitae genere tum patroni causarum, tum rhetores opiniones istas divulgare in negotio erat. Quamquam non nescio, totius antiquitatis testimonium et laudes sophistis haud raro tributas, ut apud Xenophontem, Dionysium Halic., Ciceronem alios, convincere, exstitisse inter eos, qui laude et existimatione hominum fuerint digni,

quamquam multa non contemnenda protulisse eos consentiens nunc eruditorum vox est eorumque merita de prosae orationis conformatione haud exigua fuisse [1]), tamen plurimos in arte rhetorica non ut rerum veritatem effingerent, sed ut de unaquaque re in utramque partem ad persuadendum apte dicerent, eorumque, qui audirent, animos, quocunque vellent, flecterent, imprimis expetendum esse censuisse ego quidem contenderim. Quidquid enim inest boni in eorum studiis, fuisse eos dico hominum genus callidum ac male disertum, in rebus cognitioni subjectis speciem amplectentes pro veritate. Quid quod ad varia, quibus hominum animi capiuntur et irretiuntur, descendentes artificia quod sibi proposuerant fallacibus conclusiunculis confirmabant, in captiones sese induebant et sermone blando ac perpolito multisque orationis luminibus splendidissime exornato et ad numeros diligentissime alligato utebantur. Omnem vero cognitionis veritatem negare non dubitarunt, ita ut ex notissimo illo Protagoraeo: „ὁ ἄνθρωπος πάντων χρημάτων μέτρον“ redundaret Gorgiae Leontini vox: „οὐκ εἶναι οὐδὲν, εἰ δ᾽ἔστιν, ἄγνωστον εἶναι, εἰ δὲ καὶ ἔστιν καὶ γνῶστον ἀλλ᾽ οὐ δήλωτον ἄλλοις.“ Gorgiam rhetorem imprimis elocutioni operam dedisse constat, ita ut verborum delectui orationique poliendae et legibus eloquentiae constituendis magis, quam rerum veritati consuluerit [2]).

Sophistica igitur ars praecipue artificiis, quae facile addisci poterant, rhetoricis adversarium impugnandi et superandi facultate constabat, quam disserendi agilitatem nactus rhetor et pro et contra dimicare pari cum virtute calleret probaretque veritatem in specie tantum consistere rerum, qualescunque eas redderet. Quo factum est, ut sophistae omnes leges civitatis atque instituta contemnerent. Quas utpote privatae libidinis positiones simul cum editore et rogatore commutabiles contra naturam factas esse statuerunt, quo quidem argumento et jura et privilegia fortioribus a natura tributa et sancta abstulerunt. Quum vero res omnino veras esse negassent, tum deos in dubitationem vocare, religionem ipsam aspernari ausi sunt, ut

[1]) Bernhardy: synt. litt. p. 171 et 452.

[2]) Plat. Gorg.; cf. Phaedr. p. 267 A.

Critias, Polus, Thrasymachus Chalcedonius, qui cum Gorgia orationi concinnandae studuisse reperitur. [1]) Ex quibus, quum doctrinam sophistarum via ac ratione cogitandi processisse non negandum sit, apparet totum eorum studium, quamvis non omnino sit vituperandum, tamen in specie solum philosophiae et ingenii ostentatione versari ita, ut cum in agendo, tum in sentiendo cogitandoque summa singulorum licentia atque arbitrium datum sit. Huc accedit, quod exstiterunt qui, quum omni indole et eruditione carerent, tantummodo alienas res omni studio consectati a vera eloquentia tam longe discederent, ut ne umbra quidem artis remanere videretur. Quae quum ita essent, sophistae, qui ejusmodi rebus publicam et privatam evertere conarentur vitam, ab iis, qui pristinae salutis restituendae cupidissimi erant, pro perniciosis habebantur et pravis corruptoribus. At hi acti temporis laudatores non nesciverunt, longius jam progressam fuisse eruditionem, quam quae ullo modo recedere atque repelli posset.

Verum aliam viam ad eundem finem iniit praeclarus ille Socrates, qui perniciosissimis sophistarum in philosophia institutis quasi molem et aggerem objecit, haud ita multo post Plato, Socraticorum longe princeps, qui eloquentiae ad inanem verborum strepitum depressae quasi vindex et ultor exstitit. Socrates enim ab ea, quam sophistae sibi vindicaverant, sentiendi ratione profectus in eo plane ab iis dissensit, quod non tam opinione et externa rerum notitia, quam vera scientia ductus germanam veritatis speciem quaerendam esse potissimum in consocianda rerum natura cum hominum, constituit.[2]) Itaque unicuique homini insitam esse et inhaerere conscientiam quandam intimae conjunctionis inter veritatem et universalitatem intercedentis effatus hoc ipso sibi innato veritatis amore usus est in perfidos sophistas, qui leges ad mores spectantes corrumpendo loqua-

[1]) ap. Cic. orat. c. 12. Thrasymachum in numeris esse secutum Isocratem Cic. commmemarat Orat. c. 52. de or. III. 44. cf. Dionys I. 1 p. 538.

[2]) Socrates apud Diog. Laërt. (I. 2 3) unicum bonum esse scientiam ajebat, unicum malum inscitiam. Quamvis enim scientia, ut ait Seneca ep. 89, virtutem dare non possit, animum tamen ad accipiendam illam praeparat.

citate sua id, quod in pectore infixum et aeterno motu praescriptum est, tueri quidem se velle simulantes nihilominus in pejus deflexerunt, ut specie virtutis pessima dissimularent vitia. Praecipue vero Socrates id sibi agendum esse statuit, ut morum integritatem, quomodo servaretur, cives doceret, quam junctam cum vera felicitate nulla re solvi posse ostendit. Verum a Socratico cognitionis atque virtutis principio ipso profecti Megarici, Cyrenaici, Cynici ex illius variis et diversis et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderunt,[1]) ea quidem ratione, ut in formandis judiciis quam maxime excoluerint et dialecticam artem et ethicam doctrinam. Namque Megarici id bonum esse dixerunt, quod unum sit et simile et semper idem,[2]) Cyrenaici sensibus boni rectique (**τοῦ καλοῦ κἀγαθοῦ**) naturam cognoscere professi sunt.[3]) A quibus non multum distant Cynici, qui, quum externarum rerum contemtionem ethices summam esse existimaverint, nisi formalem atque a rerum copia quam alienissimam notionis naturam tanquam unam ac stabilem non statuerunt; quo factum est, ut ea tantum judicia, quae ex notione per se ipsa existunt, comprobaverint. Omnes has superiores philosophias tanquam singula momenta ad efficiendam veriorem atque absolutiorem formam ac speciem in una Platonis philosophia esse sublatas atque conjunctas omnes nos persuasum habemus. Nimirum igitur, quod philosophi et aequales et posteriores prae ceteris potissimum ex Platone hauserunt sententias mere philosophicas. Sed, ut ad rem nobis propositam accedamus, inter eos viros Graecos, qui ea, quam modo dixi, Socraticorum,[4]) maxime Platonis[5]) philosophandi ratione excelluerint et in publicis rebus tractandis et in educanda juventute operam atque studium collocaverint, haud dubie primus locus concedendus est Isocrati

[1]) cf. Cic. de orat. III. 16. 61. — [2]) Cic. quaestt. acad. II. 42. Plat. Soph. pag. 248 a. cf. Ruxneri hist. phil. I. p. 180. — [3]) Xen. mem. II. 1. Athen XI. p. 508 b. Diog. Laërt. II. 65 sq. 83 — 86. Plat. Phaed. pag. 68. — [4]) Socrates sitne in Isocr. praeceptoribus numerandus. cf. Petri Schroederi quaestt. Isocratearum I. — [5]) De aemulatione Platonem inter et Isocratem scripsit Jo. Bake in scholl. hypomn. III. 2. cf. Spengel: Isocr. et Plato, acad. litt. reg. bav. disp. I. 7. 3. Orelli excurs. ad orat. de perm. p. 301.

Atheniensi,[1]) cujus scripta et facta uberrime demonstrant, quemadmodum philosophi majores et aequales et sentiendi et agendi constituerint rationem. Est enim Isocrates magnam gloriam assecutus et fere omnes, qui et ante et post eum vixerunt, rhetores longe minores reliquit, quippe qui non arte solum scribendi eminuerit, verum etiam orationes ita composuerit, ut verum, bonum, pulcrum quasi ad vivum exprimere viderentur. In universum opera quasi monumenta ingenii auctoris nostri fide qua par est respecturi virum in iis reperiemus pietatis erga deos plenum, studio atque ardore veritatis, bonitatis, pulcritudinis incensum, optimum quidque et honestissimum admirantem, caritate patriae et majorum inflammatum, omnino idoneum qui quid rectum sit dijudicet, id agentem, ut utilissimum se ipse aliis praestare semper velit neque quidquam profecto inexpertum relinquat, quod ad restituendam sive augendam reipublicae salutem et ad civibus adferendas utilitates pertinere arbitretur.[2]) Quibus ex virtutibus facile intelligi potest, Isocratem ab aequalibus plurimi aestimatum disciplina sua et scriptis tantam sibi comparavisse famam ac gloriam et in rhetorica, qua praecelluit, arte totius posteritatis admirationem esse nactum. Jam Dionysius Halicarnassensis in judicio de Isocrate de dictione, de collatione cum Lysia illo rhetore, de figuris postquam disseruit, Nostrum argumentorum honestate praeferendum esse omnibus ostendit.[3]) Laudat in rhetoris scriptis optimas inveniri erudiendi et educandi leges, de qua re veteres et recentiores scriptores prorsus consentiunt. Dionysium secuti sunt Cicero, Quintilianus, multi alii, qui longe plurimum ad amplificandam et ad stabiliendam ejus auctoritatem quum contulerint, omnino nescire videntur, ad ejus dignitatem infringen-

[1]) Satis hoc testatur ad eloquentiae Is. principatum confirmandum Cicero: De orat. II. 22., Brut. 8. cf. Ruhnkenii hist. crit. oratt. Graec. p. 322.

[2]) Ita in or. ad Phil. ait ejus esse, *τὴν Ἑλλάδα μεγάλην ἐκ μικρᾶς ποιεῖν* (Graeciam ex parva magnam facere). Huc pertinet dictum Themistoclis, (est ap. Plut. in ej. vita,) qui se lyrae quidem rudem esse dicit, civitatem autem, quam parvam et obscuram accepisset, magnam et claram fecisse. Quomodo civitas fiat ex parva magna, et quaenam sit vere magna, docet Aristot. polit. VII. 4.

[3]) Dion. Halic. jud. de Isocrate II. — IV.

dam omnino aliquid excogitari posse. Jam ad eorum, quos recentior tulit aetas, scriptorum sententias examinandas transeuntes, sive qui universam literarum graecarum historiam scripserunt,[1]) sive qui singulari libro de arte rhetorica deque rhetoribus,[2]) imprimis de Nostri vita, ingenio, scriptis[3]) egerunt, omnes hi in eo conveniunt, ut Isocratem scriptorem utilissima vitae civilis prudentia abundantem, excellentem oratorem nec de patria optime non meritum civem judicent. Sed nemo doctus vir usque ad hodiernum diem ad liquidum ex ipsius scriptis examinavit et perduxit, quasnam sententias de rhetoricae artis, eloquentiae sive philosophiae vera natura, consilio, utilitate, pretio atque de ethicis praeceperit. Et haec quidem disputabo; etiamsi minus fortasse viris doctis probentur, spero tamen fore ut aliquid momenti studiis nostris afferatur, quo ad perspicuum sincerumque de Isocrate judicium provenire liceat.

I.

„Natura nostra,“ de institutione oratoria disserens, „ex corpore inquit et animo composita est, quorum nemo est quin animum principalem plurisque faciendum profiteatur: hujus enim est consultare et de rebus privatis et de publicis, corporis autem exsequi, quae ab animo decreta sunt. Quae quum ita sint, nonnulli eorum, qui longe ante nostram memoriam fuerunt, quum aliarum quidem rerum multas artes inventas vidissent, at animi et corporis nihil ejusmodi repertum, duas disciplinas ab ipsis inventas nobis reliquerunt, corpori paedotribicam, cujus gymastica pars est, animo autem philosophiam, disciplinas invicem sibi respondentes et connexas et consentientes, quibus magistri animos prudentiores et corpora utiliora reddunt, dumne disciplinas multum quidem inter eas dissocient, sed

[1]) Nominandi sunt: Mueller, Schoell, alii. — [2]) J. G. Fendrix de Bréquigny, Vies des anciens orateurs Grecs, avec réflexions sur leur éloquence. Paris 1752, 2. tom. 8. Bellin de Ballu, histoire critique de l'eloquence chez les Grecs. Paris 1813; Hardio. — [3]) Schirachius: diss. de vita Is. Halae 1765, Leloup comm. de Is., Mogunt. 1826. J. G. Pfund de Is. vita et scr. Berol. 1833. Progr. gymn. Joach.; Henn: de Is. rhetore.

similibus praeceptis et exercitiis et ceteris institutionibus utantur. Postquam enim discipulos acceperunt, paedotribae posituras exercendi causa excogitatas discentibus tradunt, philosophiae autem doctores omnes figuras, quibus oratio utitur, discipulos docent. Quarum ubi compotes fecerint et diligenter in his formarint, iterum eos exercent et ad laborandum assuefaciunt, quaeque didicerint, connectere singula cogunt, quo haec firmius teneant et sententiis ad opportunitates propius accedant. Quas ut scientia complectantur, doceri non potest: in omnibus enim rebus doctrinam fallunt; qui vero animum quam maxime in eas convertunt et quid soleat evenire dispicere possunt, quam saepissime eas tenent. Hoc igitur modo et instituentes et educantes eo usque discipulos, ut meliores fiant hi mentibus, alteri corporibus praestantiores, doctrina promovere possunt; illa autem scientia magistro non inest, qua quidem discipulos alios athletas, quos vult, alios perfectos oratores faciat. Facultates enim ingenio et diligentiae respondent. Qui enim vel dicendo vel agendo vel alia re excellere velint, eos primo a natura ad ea, quae susceperunt, recte formatos esse oportet, deinde institui atque iis praeceptis imbui, quae ad quamque artem pertineant; tertio assuefieri et usu et cognitione exerceri: his enim qualibet in arte fiunt perfecti et aliis praestantiores. Oportet autem utrosque et docentes et discentes proprium aliquid afferre, hos ingenium, quo opus est, illos facultatem docendi, communis vero utrisque est exercitatio ad usum acquirendum; illi studiose praecipiunt, hi firmiter tenent praecepta. Atque haec quidem sunt, quae de omnibus artibus praescribimus. Quodsi quis, pergit reliquis omissis Noster, ex me quaereret, quid maximam vim haberet ad institutionem oratoriam, indolem responderem praestantissimam esse multoque cetera omnia superare. Nam qui habet mentem et ad inveniendum et ad discendum et ad elaborandum et ad recordandum idoneam, deinde vocem et oris facundiam, ut non modo dictis, sed eleganti orationis compositione persuadere et secum trahere auditores possit, deinde audaciam non illam quidem, quae est impudentiae indicium, sed quae cum modestia conjuncta ita mentem afficit, ut non minus animo firmo sit qui coram omnibus civibus verba faciat, quam quum secum commentetur: quis dubitat,

quin is, etsi exquisita doctrina caret, facile quidem orator fiat, qualis haud scio an nullus inter Graecos exstiterit? At etiam illos scimus, qui deteriore indole instructi studiis et curae animum dederint, non solum ipsos praestantissimos evasisse, sed etiam alios ingenio quidem bono praeditos, sed nimis sui negligentes, superasse. De ingenio igitur et exercitatione haec sentio: de institutione autem idem dicere non licet: nam neque eandem neque similem vim habet. Nam si quis omnia de eloquentia praecepta penitus audierit, eaque accuratissime animo suo impresserit orationum quidem scriptor fortasse reliquis elegantior evadet, in concionem vero progressus audacia carens nihil quidquam eloqui poterit." [1])

His atque similibus locis, quos afferre piget, in institutione oratoria maxime rationem habendam esse docet, ut orator ad id, quod vult, aut movendo auditoris animum aut docendo illius mentem perveniat. [2]) Disciplinam vero suam omnes artes continere solamque homines meliores reddere permultis locis prae se fert, non eam quidem philosophiam, quam sophistae aliique profitentur, quorum subtiles disputationes ea de causa praecipue reprehendit, quod ad vitam nulli prorsus usui sint. [3]) Quum enim prae eloquentiae studio doctrinas ad eam non spectantes omnes et veterum temporum sapientium, et suae aetatis philosophorum plane contemneret [4]) Isocrates, mere etiam technicas, quas exercebant sophistae, disciplinas: geometriam, astrologiam, dialecticam, arithmeticam alias praeparationes solum esse jussit eloquentiae, [5]) neque ullam aliam ob causam commendandas, quam quod adolescentes a multis vitiis ac flagitiis hoc studium revocaret, viros autem inquit talia tractare nullo pacto decet. [6]) Ejusmodi occupatione qui ad senectutem usque teneatur,

---

[1]) Verba rhetoris ipsius exstant in or. de perm. §§ 180—193.

[2]) Ex hac re elucere mihi videtur, Isocratem duo orationum genera, quorum unum *τὸ κινητικὸν* i. e. grave, vehemens, concitatum, alterum *τὸ διδακτικὸν* i. e. lene, sedatum, quietum, illud Demosthenis proprium, hoc Nostri ipsius. artissime conjungi velle. — [3]) Laud. Helenae 3. — [4]) Cf. Orelli exc. ad orat. de permut. p. 312 seqq.; Isocr. c. soph. or. Hel. prooem; Panath. § 19. — [5]) Isocr. Panath. 26 sqq. Bus. 23; cfrs. or. de perm. 266 sqq. de perm. 182—184, 192, 263; c. soph. 16. — [6]) Panath. 28.

inutilem eum degere vitam; qui aliquid boni et praeclari praestare velit, vigente aetate excludere istas artes eum oportere et ad tales se convertere exercitationes, quae re vera utilitatem aliquam afferant. Hanc vero una ex eloquentia nasci contendit. Ad quam praeparandam justam temporis praeteriti pertinere contemplationem, qualem e vitis et scriptis veterum aperiri pateat. Quae intuentes exempla ad virtutem dicit adniti neque iis solum, quae a nobis dicta sunt [1]), acquiescere, sed etiam optima quaeque ex poëtis [2]) addiscere atque in aliorum virorum sapientium, si quid utile dixerunt, scriptis legere debemus. Nam ut apem omnibus quidem flosculis insidere, de singulis autem utilia carpere videmus, sic eruditionis etiam comparandae studiosos nullius rei rudes esse, sed undique utilia colligere decet. [3]) Quam ob causam in libro, qui ad Nicoclem inscribitur, ei auctorem se praebet, ut et poëtarum, et sophistarum praestantissimum quemque et sapientissimum ad se arcessat, poëtarum ut sit auditor, sophistarum discipulus; [4]) quin laudandos censet poëtas propter consilium et utilitatem praeceptorum, quae prudenti consilio usi de humanitate hominumque natura dederint. [5]) Neque est, quod miremur, poëtarum libros ab utilitate magis, quam a pulcritudine ei se commendasse. Quo utilia semper sequendi commendandique studio commotus ad Nicoclem scribit: de ingenii animique eruditione dissenssionem quandam esse inter philosophos i. e. sapientiae praeceptores, omnes tamen de hoc institutionis fine consentire, ut **βουλεύεσθαι** discant discipuli. Quare Nicoclem dehortatur, ne se erudiendum credat iis, qui nihil eorum, quae fieri debent, intelligant. Etenim qui sibi ipse prorsus sit inutilis, nunquam eum alios efficere

---

[1]) Quibus Demonico virtutes maximas enumeravit: in libro ad Dem. 13—44. — [2]) Quanti fecerit poësin et poëtas rhetor noster satis manifeste declarant: Panath. 33 sq., ad Nicoclem 13, 44, 48, 49. Poëtas autem cum dicit, Theognidem intelligit, Phocylidem, Solonem, Homerum, Hesiodum alios, qui morum et sapientiae magistri habebantur. — [3]) Ad Dem. 51 sq. cf. Horatii epp. I. 18, 96: „Inter cuncta leges et percontabere doctos." — [4]) Ad Nic. 13. Aristot. eth. X. 9. *Τά πολιτικὰ ἐπαγγέλλονται μὲν διδάσκειν οἱ σοφισταὶ* (civilem scientiam tradere se profitentur sophistae). Porro sophistarum nomen eo tempore honestissimum erat. — [5]) Ad Nic. 42, 43, 44, 49.

posse prudentes.[1]) Praeclare haec, quae non dicit rhetor, ut sibi laudem, sed ut alteri bona consilia impertiat.

Philosophiae exercitationem et praeparationem vocat talem institutionem, robustiorem quidem illam, quam qua pueri in ludis exerceantur, similem tamen in plurimis. Philosophum vero neminem haberi posse affirmat, nisi qui eloquentia adeo excellat, ut praesenti tempore et ad dicendum et ad agendum prosit, de rebus porro magnis orationem habere aliosque dicendi artem docere possit; ita ut ejus ex judicio philosophia penitus comprehendatur eloquentia.[2]) Rejectis aliorum de philosophia existimationibus se solum philosophos profiteri demonstrat eos, qui *χρῶνται τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προσπίπτουσι, καὶ ἔχουσι τὴν δόξαν ἐπιτυχῆ τῶν καιρῶν, καὶ ἐπὶ τὸ πολύ στοχάζονται τοῦ συμφέροντος*, deinde qui *πρεπόντως καὶ δικαίως ὁμιλοῦσι τοῖς ἀεὶ πλησιάζουσι*, praeterea qui *τῶν μὲν ἡδονῶν ἀεὶ κρατοῦντες, τῶν δὲ συμφορῶν μὴ λίαν ἡττώμενοι ἀνδρωδῶς καὶ τῆς φύσεως ἀξίως διάκεινται ἐν αὐταῖς καὶ*, quod maximum esse dicit, *μὴ διαφθείρονται ὑπό τῶν εὐπραγιῶν μήδ' ἐξίστανται αὑτῶν μηδ' ὑπερήφανοι γίγνονται, ἀλλ' ἐμμένουσι τῇ τάξει τῇ τῶν εὖ φρονούντων, καὶ μὴ μᾶλλον χαίρουσι τοῖς διά τύχην ὑπάρξασιν ἀγαθοῖς ἤ τοῖς διὰ τὴν αὑτῶν φύσιν καὶ φρόνησιν ἐξ ἀρχῆς γιγνομένοις*,[3]) denique qui *ἐν τούτοις διατρίβουσι, ἐξ ὧν τάχιστα λήψονται τοιαύτην φρόνησιν* i. e. qui in his rebus versantur, quibus celerrime artem rhetoricam requirant.[4]) Summa huc redit, ut oratio (*λόγος*) sit *καὶ τῶν ἔργων καὶ τῶν διανοημάτων ἁπάντων ἡγεμών*, et ut ea plerumque utantur *οἱ πλεῖστον νοῦν ἔχοντες*,[5]) philosophi. His atque similibus satis intelligimus, quam vim tribuerit Isocrates

[1]) Ad Nic. 51. Aristot. eth. IV. 5 prudentem esse dixit, qui quae sibi et aliis hominibus bona sint cernere possit. Cf. Xen. inst. Cyri I. 6, 8, s. f. Idem sentit Isocrates. Rex dicitur (ad Nic. 15) *φιλάνθρωπος* et *φιλόπολις*, quia nisi suos amet, ne rex quidem dici potest, siquidem, ut est ap. Xen. in Cyrop. l. VIII. 1. 1. *ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ*. Id porro, quod monet Isocrates, eo maxime spectat, ut qui civitatem regit habeat *φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν*. Cf. Aristot. politic. V. 9. — [2]) Cfrs. or. de perm. 266. — [3]) Panath 30 sqq. — [4]) De perm. 271. — [5]) De perm. 257.

eloquentiae, qua una omnes artes contineri hominesque meliores evadere commonstrat. Quomodo factum est, ut illi, sc. verae sapientiae, ipsius philosophiae nomen imponere non dubitarit,[1]) suamque disciplinam ad veram philosophiam, quae prudentia ex mentis exercitatione capta et recte conjiciendi facultate cernatur, conducere iterum iterumque ostenderit,[2]) indignam autem esse tali nomine reliquorum philosophiam.[3]) Quodsi quaeramus, quamnam habuerit rhetor noster de philosophia notionem, duplicem fuisse statuimus: alteram in mentem colendo et exercendo,[4]) vel in scientia,[5]) alteram in arti rhetoricae operam dando,[6]) sive in eloquentia.[7]) Haec congruantne cum iis, quae a reliquis, quorum philosophiam paene nullam esse dicit Isocrates, jactata et in disceptationem vocata sunt, nunc quidem nolumus quaerere; quo vero modo genuina ac vera eruditio connexa sit cum eloquentiae studio, quaeque beneficia in eloquentiae cultores conferantur, rhetorem audiamus ordine enarrantem. Omnes omnino bonos aeque ac vitiosos homines ex eloquentiae officina meliores ac doctiores discedere intellectum habemus. Quod sic se habere paucis explicetur. Primum enim qui orationem habere vel scribere sibi proposuit, qua gloriam ac laudem assecuturum se esse auspicetur, is non potest tractandas sibi sumere injustas, viles vel privati juris res, sed magnas, pulcras expetet quaestiones ad publicam salutem spectantes. Nam nisi talem materiam elegerit, egregii quidquam minime proferet. Deinde rerum cum argumento connexarum aptissimas et ad finem maxime appositas adferet. Jam vero qui ejusmodi res bene perspicere et dijudicare consueverit, is non solum in scribendo, sed etiam, quod ad alias res pertinet, eandem facultatem retinebit, ita ut qui eloquentiae appetentes sunt et sapientiae amore incensi, et bene dicere, et sapere possint. Deinde qui aliis per-

[1]) De perm. 271 sqq. — [2]) De perm. 271 sqq. — [3]) De perm. 270. Cfrs. laud. Hel. 66; ad Dem. 3. Panath. 271 alia. — [4]) De perm. 209: *φρονήσεως ἄσκησις*. — [5]) Panath. 246. — [6]) De perm. 271. Notandum hoc loco, discernere Isocratem inter philosophos et viros doctos sive sapientiae amatores, qui optimum quidque assequi possint. Cf. 186 sqq. ejusdem or; Spengel, Is. u. Pl. p. 22. — [7]) Contra soph. 21. Conferas, quae adnotavit Benselerus ad paneg. pag. 165 ed. Lips. 1854.

suadere velit, virtutem non vili pendet, sed ad id potissimum animum intendet, ut ex justitia ac probitate sua maxima fruatur existimatione civium ac fide. Quis enim nescit etiam orationes veriores videri, quae ab hominibus integrae famae habeantur, quam quae ab illis qui male audiant, et argumentationes plus valere, quae ex vita repetantur, quam quae verbis suppeditentur? Quo quis magis optat, ut persuadendo auditores evincat, eo acrius hunc studere oportet, ut ex justa et utilia, decora et honesta semper spectando bonus laudatusque vir noscatur.[1]) Habemus igitur rhetoris disciplinam, habemus philosophiam, quae vere virtutis officina dicenda est. Quid enim? Videamus quae porro dicat. Ad eruditionem illam, quam omnibus absolutam esse censet, peridonei sunt philosophi i. e. sapientiae praeceptores, quippe qui, quae quotidianus usus expostulat, recte intelligant, quid rectum et utile non nesciant; deinde qui ita, ut decet et ut aequum est, hominibus utantur aliorumque acerbitatem et importunitatem aequis animis ferant, ipsi autem quam moderatissimos in vitae consuetudine quum se praebeant nec rebus adversis nimium frangantur, nec secundis corrumpantur, sed qui virtutem prudentium virorum propriam semper retineant, nec magis fortunae commodis, quam natura insitis ingenii et prudentiae muneribus donisque gaudeant. Quem animum qui prae se ferant, eos Isocrates non immerito vocat sapientes, perfectos, omnium virtutum capacissimos (*τούτους φημὶ καὶ φρονίμους εἶναι καὶ τελέους ἄνδρας καὶ πάσας ἔχειν ἀρετάς.*[2])

His copiosius et maximam partem ex Nostri ipsius scriptis petitis ejusdem de eloquentia sententiam exposuimus, quo facilius ac planius rem explicemus.

Secundum eas quas ipse dedit de eloquentia notiones, Isocrates et forma et re rhetorica arte alio modo usus est, quam reliqui sophistae.[3]) Pro enim, qua praeditus erat, virtute ac patriae amore, sophisticas omnes et demagogicas agitationes perosus, eloquentia sua

[1]) Panath. 276 sqq. — [2]) Panath. 30 sequ. — [3]) De hac re ipse dicit Isocrates in or. de perm. 51, in Panath. 85, in or. de pace 26. Cfrs. or. de perm. 274 sq. Panath. 19, 140, 261; totam orationem c. soph. et prooemium Hel. laud.; Plat. Phaedr. 279.

id egit, ut consilia daret, quae essent non omnium civitatum, verum patriae, sociorum, regum, singulorum summae saluti.[1]) Quid quod omnia studia in bonis atque utilibus cognitionibus comparandis et in observanda veritate, justitia, ceterisque virtutibus ponenda esse statuit.[2]) Quarum venationem pluris quum aestimaret, quam externae orationum decorationis captationem, tamen Isocratem praesertim inferiorem aetate, saepenumero etiam provectiorem in opusculis suis ornamenta epideïcticae quam vocant eloquentiae haud parvi pependisse videmus.[3]) Qua in re paullulum ad sophistas accedere videtur. Sed redeat, unde aberravit oratio. Ad sententiam nostram, quam paullo ante attulimus, pertinere mihi videntur, quae ipse in oratione, quae Panathenaicus inscribitur, affirmat.[4]) Notum enim est, inquit, me etiam inter discipulos meos iis magis delectatum esse, qui vitae probitate et rebus gerendis excelluerunt, quam qui eloquentia claruerunt. Hoc enim esse praeceptoris meritum, illud uniuscujusque hominis. Addamus quae exstant in oratione, quam scripsit de permutatione. „Nam excellere, inquit, aliis vel eloquentia, vel rebus gerendis, fortunae merito tribuetur; verum ingenio bene et moderate esse usum probitatis meae propria laus fuerit. Idque ex meae vitae institutis potissimum cognoscetis, quae veritatem longe certius indicant, quam verba calumniatorum.“[5]) Praeclare haec, quae dicit, non ut sibi laudem dicat, sed ut alteri bona consilia impertiat. Ego quidem Panegyricae et Philippicae orationis consilium fuisse haud censeo, ut se ostentaret Isocrates et sub specie suadentis consuleret audientium legentiumque delectationi, verum in Nostro fuisse sincerum utilia suadendi studium, quod quidem quum in Philippo magis, quam in Panegyrico, tum in Areopagitico et in oratione, quae de pace inscribitur, in aperto est.

[1]) Nic. 10. Panath. 2, 11. De perm. 46 sqq., 85 sqq. Phil. 82. — [2]) De perm. 67. Panath 86 sqq. De conjunctione philosophiae cum experientia ad recte gubernandum agit Aristot. eth. l. X. c. ult. — [3]) Cf. Panath. 2. *πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας* (sc. *λόγους ἐπραγματευόμην*), *οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων, παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν.* (cf. Horat. ep. ad Pis. 438 sqq.) Phil. 10, 25. Panath. 246, 260. De perm. 55. — [4]) Panath. 87. — [5]) De perm. 36 sq.

Rationes morales atque consilia, quam plurimam ac fecundissimam materiam verae eloquentiae esse voluit, praecipue contulit in paraenesin ad Nicoclem, Cypri regem, scriptam, in qua, quemadmodum regnandum sit, praecepta in communem hominum usum eduntur. Qui orationi subjungere liceat Nicoclem (vulgo Cyprii vocatur), ubi quemadmodum homini privato vivendum sit, explicatur. Sed non opus est in his haerere; plura, quae de rerum conditione, de patriae salute augenda, de majorum virtute leguntur, in Philippicis spirant. Quum enim Graeciam universam continuae dissensiones affligerent, alii, patriam ut proderent, a Macedonum rege conducerentur, alii vel immoderato libertatis ardore abrepti vel acerbiore in Philippum, communem Graecorum hostem atque insidiatorem, odio flagrantes, cupiditate magis quam consilio usi, res civitatis gererent, Isocrates qui Macedonem, ut regnum suum contra Athenienses muniret, bellum gerere, hos illi potentia artificiisque pares non esse satis recte judicavit, Philippum ad lenitatem ac benevolentiam, cives ad pacem cum eo faciendam, ut potuit, hortatus est. Pacem agere, inquit, multo praestat, quam bella gerere.[1]) Graecorum concordia autem cum per se spectata pulcra res ac pacis firmamentum esse ei videatur, ut eam inter se reconcilient, adhortandos eos existimat. Itaque revertendum esse monet ad majorum *πολιτείαν*, quippe quae officina sit *σωφροσύνης* et *ἀρετῆς*. Ac vere admiranda est et eloquentiae magistro digna comparatio illa praeteritorum cum praesentibus temporibus, quam instituit in oratione, cui titulus est Areopagiticus. Quem iterum iterumque lectitanti mihi quidem non assentiendum visum est Niebuhrio, viro non sine reverentia nominando, qui dicit in scholis de historia antiqua habitis:[2]) „nullam inesse sententiam in libro illo, qua ratione majorum, quam celebravit beatitudo revocanda sit.“ Profecto enim eae, quae oratione promulgatae sunt, rationes, ad rempublicam attinentes, summa quidem laude efferendae sunt propterea, quod in opinione nituntur, civitatem non solum jurisdictionis esse institutum, immo consociationem hominum ad communem omnium intellectualium moraliumque virium

[1]) Paneg. 167. — [2]) II. p. 300.

perfectionem.[1]) Qua re quamquam Isocrates labem reipublicae reprimere ejusque misero atque perverso statui mederi et effrenatae civium licentiae imperare non potuit, tamen summis laudibus dignus censendus est, quod, non ut aurae populi serviret,[2]) sed ut quomodo calamitates et pericula evitari possent civibus commonstraret, commodis ipsius postpositis, emendandis moribus, salubribus legibus atque institutis priscam gloriam ac potentiam reipublicae ab ea perversitate revocare totam per suam vitam haud desiit. Et haec sunt, quae jam veteres in Isocrate mirantur. Sed operae pretium est, prae ceteris Diomysii Halicarnassei judicium, ubi de Nostri ingenio et meritis exponit, hoc loco afferre. Sunt autem haec: „Ac mea quidem sententia, inquit, qui non partem aliquam civilis facultatis, sed rationem gerendae reipublicae universam complecti animo volet, is Isocratem nocturna diurnaque manu versare debebit. Quodsi quis veram philosophiam (i. e. eloquentiam) amplectitur, sola contemplatione rerum haud contentus, sed in actione virtutis etiam occupatus, nec suis commodis metitur omnia, sed multis prodesse studet: huic ego auctor ero, ut oratoris hujus imitetur institutum.“[3]) Sed haec hactenus. Jam ut redeamus, unde digressi sumus, si praeter orationes supra memoratas, quarum quidem virtutem et utilitatem Dionysius Hal. satis illustravit, alias quoque, quas scripsit Isocrates, accuratius contemplati erimus, omnino nos non effugiet, cum diligentissime cum admiratione aequalium et posterorum ipsum praestitisse quae praecepit discipulis in oratione, in qua agitur de permutatione, his verbis usum: „Qui dicere aut scribere aggreditur orationes laude et honore dignas, fieri non potest, ut materiam injustam aut tenuem, aut de privatis negotiis repetitam sumat, sed in grandium atque praestantium rerum contemplatione versetur. Qui hoc facere consuevit, natura sane non repugnante eloquentiam ac sapientiam in omnes conferet res, semper vero in animo habebit, quantum ad con-

[1]) Cf. Plattner, De causs. publ. et priv. ap. Att. 1. I, pag. 36. — [2]) Cf. quae de se ipso loquitur in Panath. 271. — [3]) Dion. Hal. jud. de Isocrate IV. Cicero tantum ad rhetoris artificia genusque dicendi animum advertit. Cfrs. Platonis Phaedr. in fine. *δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι κ. τ. λ.*

vincendos homines valeant famae integritas morumque praestantia."[1]) Qua quidem sententia quid potest esse praeclarius? An ne eam quidem praestantiam Nostro relinquemus, ut adolescentes doceat, instituat, ad omne munus officii rectissime instruat? Mihi vero quum propter communitatis, varietatis et copiae eruditionis studium tum eo, quod a consilio semel proposito non destitit, sed in eo peragendo tantam constantiam tantamque pervicaciam, quantam vix in ullo oratore inveniemus, exhibuit, summa laude dignus. Jure igitur a logographis (*λογογράφοις*), qui ejus aetate florebant, Isocrates discernitur. Hi enim solum advocatorum parare solebant sermocinationes, in foro usitatas.[2]) Itidem, quamquam sophistis adnumerari solet, vehementissime, uti jam supra commemoravi, in eos invectus, ostendere ipse concupivit, quantum abhorruerit a grege eorum, quos isto nomine appellare in consuetudinem venerit. Vocat enim illos *ἀγελαίους σοφιστάς* neque sine justa causa invehi se dicit in eos, qui pravis machinationibus meliorem quoque eruditionem perdiderint.[3]) Omnibus igitur, quae modo disputavimus, argumentis tribuendam esse oratori nostro eximiam illam laudem censebimus, quod eloquentiam, quam esse de vita et moribus philosophiam constituit, tam publicae, quam privatae vitae rationis tamquam organon conformavit. Ex quo facile intelligitur, cur tam magna insignium virorum multitudo a disciplina Isocratis profecta in diversissimas sese disperserit vias ac provincias.[4]) Scholam ejus Dionysius[5]) et Cicero[6]) ita habuerunt nobilissimam, ut hic eam cunctae Graeciae quasi ludum quendam patuisse et officinam dicendi fuisse, ille veluti coloniarum originem factam eam esse diceret.

---

[1]) De perm. 276 sqq. — [2]) Cf. Panath. 29. De perm. 41. Vide Rauchenstein, praefatio ad Panegyricum p. 7. — [3]) De perm. 3; 198. Cfrs. Dion. Hal. p. 535, 15 ed. Reiske. Plut. p. 837 B. (ed. Westermann p. 44) vitt. X oratt. — [4]) De discipulis optime consuli possunt Plutarchus 837 C., Jonsius: de scriptt. hist. philos. 1, 1, c. 9, Bakius in schol. hypomn. vol. III. quaestt. Isocr. III. § 3. De perm. 224. Ruhnkenii oratt. cet. ed. Friedemanni vol. I, p. 322 sq. — [5]) Ind. de Isocr. 1. — [6]) Brut. VIII. § 32. Cf. or. 13 (§ 40) de orat. II. 22, 94. Athenienses in ejus sepulcro Sirena posuerunt: vide Plut. p. 338 B. Anonym 259, 66, W. Philostr. I, 17, 1.

In peculiari artis rhetoricae repraesentatione id, quod apud Isocratem sophistis oppositum est, manifeste exprimitur. Solam dicendi facultatem nisi praeparationem non esse duxit altioris eruditionis, cui accedere deberet et ingenii et morum cultura, quae ad usum applicari posset. Duplice igitur excellebat in munere officiorum et theoretico et practico, ut ita dicamus, quorum altero praeceptorem, altero rhetorem se praebuit. Quae actiones non tam ob honesta consilia, quam propter formam singularem optime inter se explentur in erudiendis adolescentibus.[1]) In utroque genere condemnavit Isocrates suae aetatis sophistarum rationem ac temeritatem.[2]) Et profecto in omnium illo rerum bonarum naufragio et in illa morum corruptela, in quam Athenae per res prosperas conciderant,[3]) perierunt et ipsi sophistae, qui antea quidem honesti tum vere exstiterunt homines perditi et pessimi. Nam quidquid de rerum ortu atque natura, de corporum coelestium magnitudine et motu, de phaenomenorum terrestrium causis, de numerorum attributis, de virtute ac hominis felicitate, de rebus politicis atque de eloquentia praeceperunt, in omnibus his rebus cognitioni subjectis ad libidinem egerunt speciem amplectentes pro veritate, ratione doctrinae petulantes ore, quaeque bona pervertentes in suam et quoque in aliorum hominum juvenum imprimis, depravationem. Tales fuere Isocratis aetate, atque tales occurrunt in Nostri scriptis, in illa imprimis oratione, qua sophistas accusavit. Etsi id, quod illi exercuerunt et tradiderunt, docendi genus per se rejiciendum non est, (nec nisi tunc periculosum, quum perperam adhibitum civium officia laedit), tamen una prae ceteris eos (sc. cives) premebat mala consuetudo, nempe omnia sciendi arrogantia, quae, si de abstracta agebatur cogitatione, in meras degenerabat subtilitates et in rixas de lana caprina.[4]) Maxime enim in eo sibi placuerunt, ut doctrinae suae universitatem et eloquentiae vim splendidissime explicarent, mira cum jactatione id sibi assu-

---

[1]) Cic. Brut. VIII, 32: Is. et ipse scripsit et alios docuit cet. Is. contra soph. 17 sqq. — [2]) Or. c. Soph.; prooemium Hel.; Panath. 19. de perm. 235, 274, 313 etc. — [3]) Vide: Meiners, hist. de luxuria Athen. scripta. Lemg. 1792. — [4]) Hel. encom. § 6, 2. 3. De perm. 268 cfrs. Plat. soph. p. 225 C, Foss, De Gorgia Leontino p. 43. De permut. § 267—269.

mentes ut incredibile credibile, verum falsum, falsum verum reddere possent. Itaque tota eorum ars ingenii tantum ludus erat, argutiis vero artificiose ab iis confectis, sive sermonibus aegre excultis ac politis defuit vivus ille ardor, quo uno animi, quocunque velis, rapiuntur et incenduntur. Istiusmodi studia quam inania essent et inutilia, ut melioris eloquentiae praecepta quaedam primaria traderet, Plato in Phaedro illo satis bene demonstravit, in cujus libri initio Lysiae, celeberrimi illius oratoris, disputatio quaedam amatoria proponitur, ut Phaedrus quidem opinatur, probae et perfectae eloquentiae, ut Socrati videtur, speciosae istius vanaeque dicendi artis specimen luculentum. Miram autem ac prope absurdam sententiam Lysias defenderat; quippe non amantibus potius, quam amatoribus gratificari pueros debere docuerat. Hunc igitur, cujus ingenium haud vile, sed non satis ad philosophiam accedens in primis eloquentiae ejus originibus finxit praeformatum et a Socrate recte judicatum, inde ab initio ab Isocrate superatum significavit, cujus indolem philosophicam a Socrate praedicatam facit, cujus praestantiam ab eodem praenunciatam. Namque Platonem seniorem non aliter de Isocrate judicasse atque Socrates in Phaedro vaticinatur et praedicat, mea quidem sententia est.[1]) Sed redeo ad rem ipsam. Sicut Plato contra rhetoras, quorum doctrina adhuc vigebat, acriter disputat, sic Isocrates, cujus oratio in laudem Helenae conscripta incipit ita: „Sunt qui valde sibi placeant, si argumentum absurdum et admirabile aggressi de eo tolerabiliter dicere queant, et per omnem aetatem in ore habent alii non posse mentiri quenquam neque contradicere neque duas de rebus iisdem contrarias orationes habere; alii fortitudinem et sapientiam et justitiam idem esse, neque nos istarum rerum natura quicquam habere, sed unam esse scientiam, qua haec omnia tradantur; alii tempus rixis terunt, quae quidem utilitatis nihil afferunt, sed negotia facessere possunt auditoribus.

[1]) Hoc non ita sese habere, ex Euthydemo dialogo (Bekk. p. 457 sqq.) non sequitur. Spengelio non concedo, ibi de Isocrate sermonem esse (Spengel: Isocrates et Plato), Lysiam puto ipsum tangi. Cf. Chr. Jahn: ann. philol. et paedag. a. III. vol. VII, plag. 1. 1833.

Ego vero, pergit, si nuper ineptias istas in eloquentiae studium invectas viderem illosque inventorum novitate gloriari, eorum insolentiam non perinde mirarer. Nunc quis adeo tardus est ingenio, qui nesciat Protagoram illiusque temporis sophistas et talia et his longe operosiora scripta nobis reliquisse. Quum vero tam evidenter ostenderint facile esse de quacumque re falsam orationem comminisci, adhuc tamen in eo loco immorantur isti, quos decuit omissis praestigiis illis veritati studere, et suos auditores in iis rebus, quae in vita communi usum habent, erudire atque in actionibus civilibus earumque peritia exercere, illud cogitantes, longe praestabilius esse de rebus utilibus mediocres opiniones habere, quam supervacanearum exquisitam cognitionem, et aliis paulo superiorem esse in magnis, quam in parvis, praesertim iis, quae vitam nihil adjuvant, multum excellere. Verum istis nihil aliud curae est, nisi ut ab adolescentibus pecuniam auferant; idque praestare potest philosophia, quae in dialecticis versatur. Nam qui neque publicam, neque privatam rem curant, hi disputationibus illis delectantur maxime, quae prorsus omni carent utilitate." In oratione contra sophistas ait: „Si omnes isti, qui docere instituunt, vera dicere vellent neque majora promitterent, quam praestare solent, vulgo non male audirent. Nunc eorum audacia, qui se nimis inconsiderate jactant, factum est, ut rectius sibi consulere videantur ii, qui in otio degere malunt, quam sapientiae studiosi. Quis enim non simul et oderit et contemnat primum eos, qui in rixis versantur; qui quum veritatis indagationem prae se ferant, statim ab initio suarum pollicitationum mentiri non dubitent?" Inferioribus locis iis crimini dat, quod, quum discipulis, quidquid profuturum esse quodammodo sperent, tradituros se polliceantur, vana spe eos fallant: ternis vel quaternis minis prostare apud eos lapidem philosophorum, cui inhaerere praedicent virtutem et felicitatem universam; reliquum dumtaxat esse, ut etiam immortalitatem promittant." Contra haec Isocrates acerrime flagitat,[1]) ut ejusmodi praestigias atque ineptias (τερθρείαν), quae in vita nihil, in schola parum valeant, omittant et serio veritatem appetant. Per-

[1]) Hel. 5.

fectae enim eruditionis esse, ut hominem ad vitam publicam instruat quaeque illius sint virtutes artesque, in iis exerceat; multo melius esse, utilia satis bene cognovisse, quam inutilia penitus explorasse, in magnis parum excellere, quam in parvis et praesertim iis, quae vitam nihil adjuvent, ad summum ascendisse gradum.“

Sed in omni sophistarum doctrina ars loquendi, cujus exercitatione atque usu quemquam carere posse negarent in conversatione, tunc temporis in summo honore et deliciis habita, extremus erat finis atque exitus, quo contenderunt illi, id quod facilius intelligitur, si Graecis artem loquendi cogitandi arte comprehensam fuisse tecum reputes; nam dialectica uno verbo utramque complectitur notionem. Quum autem dialectica haec ars ad qualescunque disciplinas plus justo relata esset, factum est, ut privata et propria ejus indoles prorsus exstingueretur nec jam pro disciplina ipsa, sed pro discendi via ac ratione haberetur. Itaque orationis habendae ratio unicuique doctrinae generi infixa aut remansit, aut a certis cognitionibus resoluta in ludibria incidit supervacanea et in subtilitates acutissimas et minutissimas, id quod omni disciplinae accidere solet, quae solum in methodo constat neque ipsa scientiam efficit. At quid Noster? Justo argumento seruit dialecticam, quam cum rei publicae gerendae scientia, omnium cognitionum valde praestantissima, artissime conjunxit. Praestantissimas ac vere regias, ait in Nicocle,[1]) eas orationes esse, quae de moribus et de re publica agant (*περὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ τῶν πολιτειῶν παραινοῦντας* sc. *λόγους*), atque in his ipsis illas excellere censet, quae et principes doceant quomodo sit tractanda multitudo, et homines privatos, quo pacto erga principes affecti esse debeant. Modo si ad tales res dirigatur dicendi facultas, nobilissimum illud et humanissimum naturae donum,[2]) vera et legitima et aequa eloquentia honesti ac fidelis animi simulacrum erit, cives ad honestatem ducet,[3]) civitatem juris ac virtutis institutum reddet.[4]) Tantum de his rebus perorari potest.“[5]) Quum ita de sua arte senserit Isocrates, prorsus contrarius fuit sophistis,

[1]) § 10. — [2]) Nic. 6 seqq. — [3]) cf. or. de pace 15, 39 cet. — [4]) cf. de pace 145. — [5]) Panath. 11.

proxime autem accessit ad Socratem ejusque disciplinam, quippe qui philosophiam inter et vitam publicam nexum eundem statuisset, quem Isocrates dialecticam inter et artem politicam fecit.

At Isocratem in rebus ad jus pertinentibus versatum fuisse, sunt qui negent. Quamquam, ut de se ipse dicit, forensium orationum egregius non fuit artifex, tamen ob encyclopaedicam suam de praeparatione, qua ad sublimiorem eloquentiam provehendum, opinionem etiam juridicialis, quod dicunt, generis haud ignarum fuisse constat. Audiamus ipsum rhetorem loquentem. Dicit enim haec:[1]) „Ego pulcherrimam et justissimam defensionem eam esse duco, quae quam fieri potest certissime judicibus demonstrat eas res, quibus de rebus suffragia sint ferenda, ut ne in errorem inducantur, aut dubitent, utri vera dicant,“ alia.

Quoties Isocrates naturae conqueritur[2]) iniquitatem, quod desint sibi, quibus oratori concionanti opus est, vox et latera et fiducia, ipse tamen continuo hunc consolatur dolorem: desint sane illa naturae bona, attamen *τοῦ φρονεῖν εὖ — ἀμφισβητῶ καὶ θείην ἂν ἐμαυτὸν οὐκ ἐν τοῖς ἀπολελειμμένοις ἀλλ᾽ ἐν τοῖς παρέχουσι τῶν ἄλλων. Διόπερ ἐπιχειρῶ συμβουλεύειν τὸν τρόπον τοῦτον, ὃν ἐγὼ πέφυκα καὶ δύναμαι, καὶ τῇ πόλει καὶ τοῖς Ἕλλησι καὶ τῶν ἀνδρῶν τοῖς ἐνδοξοτάτοις.*[3]) Facile equidem fidem habeo talia asseveranti. Testes nobis sunt ejus orationes. Non enim putamus negari posse quin in stilo et scribendi genere, quo quis utatur, sit mentis ingeniique aliqua effigies. Qui facile semper ac dilucide, apte et simpliciter quaecumque vult dicendo scribendove exprimit, is fieri non potest quin celeriter et cum facilitate res percipiendi rerumque notiones conformandi facultate valeat. Isocrates autem sive res gestas enarrat, sive consilia impertit, sive laudat sive vituperat, sive aliud quodlibet agit, neque unquam deest lucidus ordo neque invita rem bene perceptam verba sequuntur, unde efficio non minorem in eo fuisse percipiendi intelligendique facilitatem, quam eloquendi et expri-

[1]) de perm. 52. — [2]) Panath. § 11. Phil. 81. Panath. 9. 39. Plut. p. 837 A. Anonym. 254, 32 W. Plut. p. 838 E. Phot. 486 b. Bekk. cf. de permut. § 19. 129. 189. 191. Philostr. I. 17. 1. p. 504. cf. Schroed. quaestt. — [3]) Phil. 82. Cf. Panath. 8. 9. de perm. 161. epist. I. 9. 10.

mendi, quae cogitarit et perceperit. Nisi forte cum iis consentimus, qui illum, quum in una Panegyrica oratione conscribenda decem annos consumserit, mentis agilitate praeditum non fuisse ostenderunt.[1])

Quodsi vera sunt, quae de Isocratis eloquentiae consilio atque indole disputavi, consequitur, ut eum prorsus separemus a vulgaribus sophistis. Attamen, quum ejus provincia toto coelo distet a mala reputatione, quam isti sibi consciverant, aberrationes et deviationes sophisticae, quae persaepe in rhethoris scriptis obveniunt et invito Marte, ut videtur, e calamo fluxerunt, uberrime demonstrant, quam facile istis turbulentis temporibus vel optimi viri sophisticarum machinationum laqueis irretiri et perstringi se paterentur.[2]) Quae res quum sic se habeat, factum videtur, ut, quum sophistae essent et haberentur, qui cum de omni argumento, tum imprimis de rerum natura nec non de philosophia morali dissererent, rhetores vero unam dicendi laudem consectarentur, quae quum censeretur facultate de quavis re copiose ornateque dicendi, hanc ob causam factum esse puto, ut veterum quidam, sicut orator noster, vel alterutro, vel utroque nomine appellarentur:[3]) donec tandem, artibus et scientiis incrementum capientibus, tum harum magistri, tum rhetores sibi utrique proprium regnum constituerent, sophisticaque sibi sola relinqueretur nuda ac deformis nil nisi illorum ornamentorum umbram et vocularum inane aucupium servans.

Tentatum igitur esse re sophistica Isocratem eumque magis, quam alii tempore ei aequales, propter eruditionem, sollertiam, agendi rationem, opes, omni dubio caret.[4]) Iniquum autem est, ob sophis-

[1]) Niebuhr, Spengel alii. Mecum consentiunt: Leloup, Schroeder, Pfund alii. — [2]) Leloupius (comm. p. 30) sophistarum vestigiis incedentem Isocratem argumenta plane nugatoria, sicut Helenae elogium et Busiridis defensionem, tractasse recte adnotavit, cum ut suum dicendi genus hoc etiam modo informaret (Cic. orat. C. 14), tum etiam ut sophistis ostenderet, talia argumenta consilio quodam tractari posse. cfrs. Pfund p. 8. — [3]) Vide: Leloup comm. de Isocr. p. 13 seqq. — [4]) A veteribus cum modo *τὸν σοφιστήν*, modo *τὸν ῥήτορα* dictum reperimus. Photius cod. 159. Ael. var. hist. XII. 52. XIII. 11. Suid. s. v. *'Ισοκρ.* Dion. Halic. cf. Philostr. soph. vv. Cic. or. 11. De ejus obtrectatoribus cfrs. de perm. §§ 5; 31. Dion. c. I. p. 537. 1. Plut. 837. C. Phot. p. 794. H. 4876, 4. Anon. p. 254, 36.

ticos, in quos incidit, errores atque studia omnino illum huic ordini loquacitate et scurrilitate omnem honestatem subvertenti et contemnenti adnumerare, licet aliqua opinionum concordia non plane abjudicari queat. Haud diligens et si vis improbus rerum historicarum usus, qui crimini Isocrati ducitur,[1]) nonnullis locis nobis occurrens, ubi commode tali veritatis negligentia uti potuisse videtur;[2]) contradictiones, ut ita dicam, quas saepenumero subiit, et ipse concedit et excusare conatur;[3]) digressiones a proposito, quarum certissimum testem nobis se praebet apologia Helenae, qua oratione idem auctoris vitium vituperat, quem expositione sua superare sibi proposuerat, saltem pollicitus erat; declamationes, quibus ipse suas de tuenda honestate praecepta ac normas oppugnat, neque ita raro peccat, siquidem sermonis concinnitas aut rei utilitas eum deducunt;[4]) deinde gloriandi cupiditas rhetoris de se ipso loquentis, ostentatio, grandiloquentia:[5]) haec et alia peccata ut ignoscamus ex aliqua parte adducimur considerantes tum quando orationes scripserit,[6]) tum quibus rerum conditionibus sit usus, ad mutandas opiniones proclivibus, et ex vario et amicorum et adversariorum usu pendentibus. Accedit, quod sophistae Isocratis gloria concitati, philosophicis ut disputationibus sermonis lepores aspergerent, studuerunt.[7]) Vitiis igitur detectis in scriptorem cadit atque in omnes omnino homines proverbium illud: „Errare humanum est,“ cui addamus Terentianum illud: „Homo sum, nihil humani a me alienum puto.“ Intellectum, voluntatem,

[1]) Cf. Niebuhr II. 299. Ipse loquitur de hac re Isocrates: Panath. 88, seqq. — [2]) cf. Paneg. 97 seqq. Arch 20 seqq. — [3]) Panath. 67—69. 114—118. 168—172. Paneg. 54—60. — [4]) Rem ita se habere, maxime demonstrabitur instituenda laud. Hel. § 54 sqq. cum or. ad Dem. § 5 comparatione, quorum locorum altero vera virtute nullam possessionem neque venerabiliorem esse neque constantiorem, altero pulcritudine in tota rerum natura nihil angustius, nihil pretiosius, nihil divinius esse praedicavit. — [5]) Paneg. 3—4. 13—14. — [6]) Exempli gratia elogium Helenae ex pristinis oratoris speciminibus est, ad quam provectiore jam aetate initium 1—13 conscripsit. cf Christiani praef. in Is. Hel. et Bus. — [7]) De simultate Isocratem inter et Aristotelem cfrs. Cic. orat. 19, 62. 51, 172. de orat. III. 35, 141. Tusc. quaestt. I. 4. de orat. III. 44. Diog. Laërt. V. 1. 35. de Aristotele Siculo, VI. 1. 15 de Antisthene Atheniensi Spengel *συναγ. τεχν.* p. 174. sq. Tzetz. Chil. XI. 672 de Alcidama Eleata. Suid. s. v. Zoilus (de Zoilo Amphipolitano).

sensum in Nostro fuisse censemus, ut decet hominem, ut decet oratorem admiratione dignum. Servavit per totam suam vitam omnia officia, coluit justitiam, temperantiam, pietatem erga deos et patriam. Quod innumeri ex ejus scriptis loci testantur. Quodsi igitur neque stultorum rhetoris admiratorum, neque insectatorum rationem habentes omnes, quas protulimus, indolis Isocrateae notas conjungamus artisque scribendi et dicendi consilium ac rationem complectamur, habebimus sapientem, in quem et juvenem et aetate provectum cadit vox illa Socratica: *Φύσει γὰρ ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.*[1]) Quam Platonis fuisse re vera sententiam Cicero pluribus locis dicit. Is, qui sine philosophia non posse effici quem quaerimus eloquentem, neque latius neque copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia posse quemquam dicere ait,[2]) Isocratis eloquentiam satis superque celebravit.

Cognovit, ut ad extremam quaestionis partem veniamus, Isocrates veram eloquentiae indolem atque dignitatem, perfectiorem autem doctrinae ac sapientiae imaginem assecutus non est, quippe qui hanc dignitatem et consilium a vitae usu alienam in scientia ipsa positam esse docuerit. Quodsi nunc finem quem sibi propo-

---

[1]) Plat. Phaedr. p. 279 A. Cic. or. XIII. 41: „Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: 'adolescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est, sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur, praeterea ad virtutem major indoles; ut minime mirum futurum sit, si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere cui nunc studet tantum quantum pueris, reliquis praestet omnibus qui unquam orationes attigerunt; aut si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim natura philosophia in hujus viri mente quaedam.' Haec de adolescente Socrates auguratur; at ea de seniore scribit Plato, et scribit aequalis, et quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum; me autem qui Isocratem non diligunt una cum Socrate et cum Platone errare patiantur. Cfrs. ann. philol. et paedag. ed. Jahni, Seebodii, Klotzii all. virr. a. III vol. VII. l. 1. pag. 412, sq. Lips. 1833; Niebuhr scholae philos. II. 212. Bratuscheck 'de Plat. Phaedri dispositione' diss. inaug. Berol. 1863. p. 6. Anon. p. 256 West. — [2]) Cic. orat. IV. §§ 14 et 15. cf. Orelli, *Περὶ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας καὶ γλώσσης μετὰ τοὺς ὁποίους, καὶ περὶ τῆς παρούσης τοῦ Ἰσοκράτους ἐκδόσεως*, p. 8.

suerat vir clarissimus et in dicendo et in agendo contemplemur, nostro jure ad eum quod de Socrate Xenopho tulit[1]) judicium referre poterimus: minime eum juventutem corrupisse, immo haud dubie, qui malis essent moribus, in bonos et honestos mutasse viros, et singulis et civitatibus magnam attulisse utilitatem.[2])

II.

De Isocrate si velis sophista, quae habui, disserui. Venio ad alteram commentationis partem, qua de ethica doctrina magistri eloquentiae me acturum esse in initio sum professus. Fuit Isocrates praeceptor, qui erudiendi vivendique regulas ac normas et sibi et aliis statuit.[3]) Certam quandam morum instituendorum formulam non composuit, philosophorum enim artis praecepta non ad philosophi instar acceperat. Cujus rei perspicuum argumentum nobis exstat in definitione ejus sapientium et philosophorum[4]) supra jam indicata, satiusque confirmatur opinionibus, quas de virtutis promulgavit institutione.[5]) Ipse commemorat, in praeceptis suis nihil novi neque incredibile quidquam inveniri, sed exhortari se ad virtutem ac sapientiam nemini non intelligendam. Quam ipsius industriam veriorem et utiliorem esse putat, quam eam virtutem ac sapientiam, quae reliquis hominibus inprimis imperitis omnino ignota a philosophis ipsis disceptetur. Ad vitae usum sapientiam accommodando praecepta in officiorum numero haberi voluit. Sententiam illam,

---

[1]) Xen. mem. I. II. 64. [2]) Quae quum ita sint, postquam luculenter exposuimus, quomodo Isocrates eloquentia usus sit, manifestum esse arbitramur, id solum ei objici posse, quod a discipulis suis, ne dicam a civibus, verum ab externis, pecuniam ex scholis exegerit. Attamen et haec culpa mitigatur ipsis Nostri verbis: de perm. 164. Cf. Leloup, comm. p. 26. — [3]) Monita Isocratea collegit et explicavit Jac. Facciolati Patavii MDCCXLI. I. ad vitae privatae institutionem ex Isocr. paraenesi ad Demonicum, II. de officio principis erga civem ex Isocr. oratione de regno ad Nicoclem, Euagorae regis filium. — [4]) De perm. § 271 sqq. Cf. Panath. § 30 sqq.; de perm. § 277. — [5]) De permut. 84. ad Nic. 41.

quam Socratici in medio collocaverant, virtutem esse sapientiam,[1]) rejicere conatur Isocrates in Helenae laudationis prooemio, ubi eos fortiter aggreditur, qui virtutem, sapientiam, justitiam idem esse contendant, neque nos istarum rerum natura quidquam habere, sed unam esse scientiam, qua haec omnia tradantur. Deinde locos Isocratis (contra soph. § 8, de perm. § 271) conferens reperio, discrimen facere eum inter scire et inter credere vel putare (*ἐπίστασθαι, φρονεῖν; δοκεῖν, δοξάζειν*). Similitudinem inter pulcrum, bonum, rectum vel eandem horum vim ac rationem ad vocis usum referendam non proposuit. Nam quod in Panathenaico effatur,[2]) tantum, ni fallor, cadit in sophistas. Isocrates enim, uti jam supra monuimus, virtutem, qua sapientiam, doctorum se esse profitebatur. Qua de causa maxime praedicavit, quantum bonae ingenii vires ad emendandos mores valeant, ita ut sapientiae in libidines imperium strictius definiret. At vero etiam virtuti sibi non consciae pretium quoddam concedit, nimirum consciae majorem dignitatem tributurus. Quid multa? Virtus omnis beatitudinis vera origo Isocrati esse videbatur.[3]) Qua ex sententia mere Socratica rhetorem in Socraticorum numero referendum esse pro certo habebimus.[4]) Omnis enim ejus spes salutis felicitatisque singulorum, familiarum, civitatum in virtute sola posita est, civesque iterum iterumque ad *ἀρετὴν καὶ*

[1]) Cfrs. Xenoph. mem. III, 9, 5: *ἔφη δὲ καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι*; IV, 6, 7. *Ἆρ' οὖν οἱ σοφοὶ ἐπιστήμῃ σοφοί εἰσι; Τίνι γάρ, ἔφη ἄλλῳ τις ἂν εἴη σοφός, εἴγε μὴ ἐπιστήμῃ; Ἄλλο δέ τι σοφίαν οἴει εἶναι ἢ ᾧ σοφοί εἰσιν; οὐκ ἔγωγε. Ἐπιστήμη ἄρα σοφία ἐστίν; Ἔμοιγε δοκεῖ.* — [2]) § 187: *εὐλογεῖν τινες τολμῶσι, κακῶς εἰδότες ὡς οὐδὲν οὐθ' ὅσιον οὔτε καλόν ἐστι τῶν μὴ μετὰ δικαιοσύνης καὶ λεγομένων καὶ πραττομένων.* — [3]) Or. de pace § 32. *οὔτε πρὸς χρηματισμὸν οὔτε πρὸς δόξαν οὔτε πρὸς ἃ δεῖ πράττειν οὐθ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν ὅσην περ ἀρετὴ καὶ τὰ μέρη ταύτης. Τοῖς γὰρ ἀγαθοῖς οἷς ἔχομεν ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτώμεθα καὶ τὰς ἄλλας ὠφελείας, ὧν δεόμενοι τυγχάνομεν ὥσθ' οἱ τῆς αὑτῶν διανοίας ἀμελοῦντες λελήθασι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῦ τε φρονεῖν ἄμεινον καὶ τοῦ πράττειν βέλτιον τῶν ἄλλων ὀλιγωροῦντες.* — [4]) Anonym. p. 253, West. Pfund comm. p. 5, qui etiam Plat. et Isocr. amicitia conjunctos fuisse contendit. Cf. Diog. Laërt. III. 8, Cic. or. XII. 42, Benseler: „De Isocr. praef.“ I. p. 65 sq. Plut. X oratt p. 838 E. Oncken: „De Isocr. et Athenis“ pars I, 1862.

σωφροσύνην colendam adhortatur.[1]) Virtus ergo et honestas quum sint fontes beatitudinis i. e. *ἀγαθοῦ, ἀγαθὸν* autem fons utilitatis, sequitur ut virtutem expetamus propter utilitatem. Hoc est: „Virtus est utilis, ergo virtuti studeamus.“ Omnia vero in virtute bona sunt posita. Probi enim atque virtute praestantes homines deorum hominumque gratia usi bonis iis non carere solent, quae ad vitae meliorem statum pertineant. At quia non semper fit, ut virtus sola reddat eos, qui ad ejus normam vitam dirigant, beatos[2]) i. e. ut non semper cum beatitudine virtus conjuncta sit, Isocrati fortunae hominum beatitudo permittenda esse videbatur. Igitur bonum illud quod dicimus absolutum ei praesto non fuit. Sed de his satis. Ut ad aliam rem transeat quaestio, hoc loco, quo facilius intelligatur explicatio, quae sequitur, rationis virtuti studendi, partes in quas distribuit Noster virtutem simplicibus verbis afferamus. Sunt autem: *σωφροσύνη, ἀνδρία. σοφία, δικαιοσύνη.* Quarum singularum notio quo melius noscatur, ex rhetore ipso quaeramus. „Puto vero, inquit,[3]) talem artem, quae male a natura institutis virtutem afferat et justitiam, neque olim ullam fuisse neque nunc ullam esse, eosque qui ista polliceantur, prius desituros a nugisque cessaturos, quam talis disciplina inveniatur; verumtamen censeo eos meliores fieri et digniores, si ad dicendum studio ducantur eoque incumbant, ut auditoribus persuadere possint, atque praeterea alios exsuperare cupiant non illo quidem modo, quo imperitis admirationi sint, sed quo revera aliis sint superiores. i. e. ut operam dent,[4]) ut rebus omnibus imperent, quibus animum servire turpe est: cujusmodi sunt: lucrum, ira, voluptas, dolor. Haec autem ita ut consequantur, si ea in lucro deputent, quae gloriam, non quae opes augeant,

[1]) Or. de pace § 17, 33 sq., de permut. 281. ad Nic. 20, Nic. 2. 30, Arch. 36. 59. — [2]) Or. de pace: *καὶ ταῦτ' εἰ μὴ κατὰ πάντων οὕτως εἴθισται συμβαίνειν, ἀλλὰ τό γ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτον γίγνεται τὸν τρόπον.* — [3]) Permut. § 274 seqq. — [4]) Ad Dem. § 21. Cf. contra soph. 3, 14 cet. de perm. 184 seqq. ad Nic. 14, 29. Cf. Aristot. polit. III, 9. Sen. ep. 113. Imperare sibi maximum imperium est. Hor. satt. II, 7, 81 seqq. Ab Isocrate nostro Euagoras laudatur tanquam *ἡγούμενος τῶν ἡδονῶν, ἀλλ' οὐκ ἀγόμενος ὑπ' αὐτῶν.* Cf. Hes. op. et dies v. 293. Aristot. eth. I, 4.

in ira, si tales se praebeant delinquentibus, quales in ipsos delinquentes alios esse velint; in oblectationibus, si turpe ducant servis imperare, voluptatibus servire; in rebus adversis, si aliorum calamitates inspiciant, etiam se ipsos homines esse recordentur. Qui[1]) hanc vivendi viam ingressi sunt, hi soli verae virtutis compotes fieri possunt, qua nulla possessio neque venerabilior est neque constantior. Virtutis autem possessio, in quorum animis sincere una cum aetate accreverit, sola nec in senectute deserit, et opibus praestantior et nobilitate utilior. Forma[2]) quidem aut aetate consumitur, aut morbo deflorescit; divitiae vero vitiorum magis quam virtutis ministrae sunt, quae et ignaviae facultatem offerunt, et adolescentes ad voluptates invitant: jam vires corporis cum prudentia conjunctae sane prosunt, sed sine hac plus iis ipsis nocent, penes quos sunt, et ut corpora pugilum ornant, sic mentis exercitationi tenebras obducunt. Virtus una summum est bonum.[3]) Quae alii efficere non possunt, ea facit ut obtineantur: quae multitudini horrenda videntur, magno animo subit; desidiam in vitio ponit, laborem laudi sibi ducit.[4]) Laudandi autem sunt et admiratione digni etiam homines natura modesti, sed multo magis ii, qui ratione quoque sunt tales. Nam qui temperantiam fortuito, non consulto colunt hi fieri potest ut aliquando a sententia deducantur: qui vero praeter naturae bonitatem etiam persuasum habent, summum bonum esse in virtute positum, ii haud dubie per omnem aetatem in hac statione perseverabunt.[5]) Neque vero de omnibus virtutibus una quadam ratione judicandum est, sed de justitia in egestate, de modestia in potestate, de continentia in juvenili aetate.[6]) Existima, scripsit Demonico, te decere modestiam morum, pudorem, justitiam, temperantiam. His enim omnibus juvenum disciplina contineri videtur. Deum time, parentes honora, amicos verere, legibus obtempera.[7]) Nam deos colimus, justitiam exercemus, ceteris studemus virtutibus, non ut deteriore quam alii conditione simus, sed ut bonis in vita quam plurimis perfruamur. Si autem voluptates ex his ortas verissimas nos habere didiceris,

[1]) Ad Dem. § 5. — [2]) Ad Dem. § 6. — [3]) Nic. § 47. — [4]) Dem. 21. — [5]) Nic. § 46 seqq. — [6]) Nic. § 16. — [7]) §§ 15 sq. Cf. 13, 14, 36.

maxime ad honestarum artium studium incitaberis. Nam in socordia et satiandarum libidinum studio statim molestiae voluptatibus ad fixae sunt; virtutis vero studium indefessum et sobrium vitae institutum semper oblectationes sinceras atque etiam constantiores reddit; atque illic principio gavisi post dolemus; hic post molestias voluptates capimus.[1]) — Si quis existimet, qui alios fraudent aut decipiant aut mali quid faciant, eos praestare ceteris, nae is recte non judicat; nulli enim per totam vitam talibus inferiores sunt, neque pluribus necessitatibus urgentur, neque contentius vivunt, aut omnino infeliciore conditione utuntur.[2]) — Qui felices (*εὐδαίμονας*) se fore velint, pietate nimirum, temperantia ceterisque virtutibus instructi non esse non possunt.[3]) — Inprimis in proborum numerum adscribendi sunt, qui secundis rebus non corrumpuntur neque a semet ipsis discedunt neque animis efferuntur, sed moderationem prudentium virorum retinent, nec magis fortunae muneribus quam natura insitis ingenii et prudentiae insignibus delectantur.[4]) — Decet igitur, virtutis studium professos vim ac naturam sapientiae et justitiae ceterarumque virtutum nos imitari. Hae enim non sibimet ipsis bene faciunt, sed quorum animis constanter insederint, eos felices reddunt et beatos."[5])

Quodsi singula hic allata conjungas, Isocratem omnem institutionem ad utilitatem, conjunctam cum jucunditate, retulisse statues, iterum iterumque monere, ut quae utilia sint adjuventque ad vitam sequamur. Virtus, inquit, est utilis, virtus est summum bonum, ergo studeamus, quibus maxime ad virtutem impellamur, honori et gloriae, quam ut assequamur, ne vitae quidem parcere nos jubet.[6]) Honoris autem et gloriae studium ex nostri sententia nascitur ex

[1]) Nic. § 2. ad Dem. 46. — [2]) De permut. § 281. — [3]) De pace § 63. Cf. 31 sq., 33. ad Dem. § 16. Socrates: *γνῶθι σ' αὐτόν*. — [4]) Panath. 32. — [5]) Panath. § 228. Cfrs. 223. — [6]) Virtutis gloriam summi faciendam neque mortem honestam turpi vitae postponendam esse affirmat or. ad Dem. 43; et Isokrates ipse mortem sibi conscivit. Cf. Leloup. comm. p. 11. Addas Euag. § 1—5. Paneg. § 95. Phil. 134—195. Archid. 108 seq. Ad Nic. 36: „*αἱροῦ τεθνάναι καλῶς μᾶλλον ἢ ζῆν αἰσχρῶς*." Cic. off. I, 23: „Cum tempus postulat, decertandum manu est, ac mors servituti turpidinique anteponenda." Sal. Jug. 67: „Quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur."

pudore, quem impellere homines ad virtutem dicit colendam. Ad pudorem provocamur virtutem rerumque majoribus praeclare gestarum memoria, qui, quum virtutem colerent, erant *σώφρονες καὶ δίκαιοι.* Quodsi virtus majoribus utilis fuit, eadem nunc quoque prodest, ergo redeamus ad antiquam majorum virtutem i. e. ad majorum rempublicam, instituta, leges, nam eorum *πολιτεία* officina est *σωφροσύνης* et, quae cum hac conjuncta est, summae beatitudinis;[1]) *ἔστι γὰρ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἕτερον ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις.*[2]) Consulto tam multa ex scriptis excerpsi, ut, rhetoris artificia si excipias, paene integram Isocratis orationem retulerim. Ceterum satis jam dictum videtur, quantum ei valeat virtus, quantum fortuna ad beatitudinem.

Quod attinet ad varia virtutis genera, quae legentibus nobis discernuntur, auctor ipse in Panathenaïco[3]) consignavit. Prudentes et perfectos et omnibus virtutibus ornatos eos esse affirmat, qui sapientiae, justitiae, temperantiae, fortitudinis officia praestent, quarum consociatione atque exercitatione virtus efficiatur. Ut ei, quippe quae utilis res ipsi Isocrati haberetur, studeret ejusque eas potissimum partes, quae non peccando magis quam agendo cernuntur, coleret, natura eum impulit. Singulas virtutis partes tam arto inter se contineri vinculo, ut sejungi non possint, sed qui unam, is omnes habeat, non indolis conformatio quaedam, verum Socratica philosophia Nostrum docuit. Jam totam eam atque omnes ejus partes laudat ille quidem, sed non omnes, nullo discrimine facto, commendat: ad *σωφροσύνην* enim, quam principem esse virtutum cui accedamus ostendit, et ad *δικαιοσύνην* frequenter adhortatur,[4]) *ἀνδρείαν*[5]) ceterasque si quae sunt virtutis partes, quae quidem agendo cernuntur, vel non tanti esse censet, quarum in suasionibus injiciat men-

---

[1]) De majorum laudibus cfrs. Areopagiticum, quo omnibus illos animi bonis externisque rebus abundasse dicit. § 4 seqq. — [2]) Aereop. § 14, cf. ad Nic. § 20. Areop. 30 de permut. 306. Phil. 113 etc. — [3]) §§ 30, 31, 32. Rhetor virtutem ipse in partes distribuit or. de pace § 32 laud. Hel. § 21 a. l. — [4]) Nic. 29 sq., 43 sq. Cfrs. Euag. 22 sq. Hel. 21, 31, Panath. 228. — [5]) Fortitudo, sapientia, justitia provectiore aetate colendae sunt. Euag. 23.

tionem, vel simplicibus verbis enumerat. Oppositae autem sunt *τῇ σωφροσύνῃ* et *τῇ δικαιοσύνῃ* insolentia et injustitia, in quibus omnium malorum originem et causam esse positam rhetor noster idemque virtutis praeceptor arbitratur.

Quodsi nunc quaeramus, quibusnam in argumentis inveniamus, qui sint honesti et probi homines, exstant ipsius verba, quae jam supra attulimus: „Primum sunt ii qui recte utuntur negotiis quotidie incidentibus, et qui occasiones modumque rerum prudenter animadvertunt, et plerumque id deligere (*στοχάζεσθαι*) possunt, quod utilissimum sit.“[1]) Quam enuntiationem si comparaverimus cum significatione illa sapientium: „Quia in natura humana non inest eam acquirere cognitionem (*ἐπιστήμην*), qua instructi sciamus quid faciendum aut dicendum sit, ex reliquis Sophos (sapientes) eos esse censeo, qui sua sententia plerumque optimum quidque assequi possunt,“[2]) sane elucebit, quam practicam, ut ita dicam, sapientiae sibi effinxerit imaginem Isocrates, quippe quum *σοφίαν* in genera receperit virtutis.[3]) Quid sit utilissmum, deligendum est: ut quisque optime deligit (*στοχάζεται*), ita optime eruditus (*σοφός*) est: ut quisque optime eruditus est, ita optimum quidque (sc. *ταῖς δόξαις*) assequitur. Itaque *δόξαζειν* et *στοχάζεσθαι* (opinari et deligere) tamquam termini sunt, super quos egredi atque ad certam rerum cognitionem pervenire hominibus non licet, quoniam quid optimum dictu factuve sit sciri non possit. Jam quod cognitionem sive scientiam haud unicam esse normam virtutis perspectum habuit, sapientiam ipsam a temperantia, quae sibi ipsa dominatur, disjungit et ut quartum virtutis genus separatim accipi vult, quam rem paulo inferius considerare in animo nobis est. Quemadmodum autem Isocrates secundum eam quam de virtute habuit notionem, et sapientiam et doctrinam tanquam fundamenta illius atque beatitudinis aestimaverit, ex ejus ipsius verbis elucet; quocirca excerpere volumus, quae de

---

[1]) Panath. 30 seqq. „*Πρῶτον μὲν τοὺς καλῶς χρωμένους τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προσπίπτουσι, καὶ τὴν δόξαν ἐπιτυχῆ τῶν καιρῶν ἔχοντας καὶ δυναμένην ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ στοχάζεσθαι τοῦ συμφέροντος.*“
[2]) De permut. 271. — [3]) Cfrs. Hel. 21. Panath. 228 etc.

sapientia statuit placita et hic et illic, ubi de aliis virtutis generibus disserendum nobis erit, quo melius rhetorem usu peritum et callidum agnoscamus. Audiamus ipsum de sapientia loquentem. Dicit enim haec: „Quum omnium rerum quae ad vitam degendam pertinent, curam suscipito, tum ingenio excolendo vel maxime intentus esto. Maxima enim res in re minima est bona mens in corpore humano. Da operam, monet Demonicum, ut et corpore sis laborioso et animo sapientiae studioso, ut altero quae decreveris perficere queas, altero prospicere scias profutura.[1]) Natura nostra ex corpore et animo composita est, quorum nemo est quin animum principalem plurisque faciendum profiteatur: hujus enim est consultare et de rebus privatis et de publicis.[2]) Corpora ita composita sunt, ut ex laboribus accommodatis, animus, ut ex praeceptis bonis virtute augeantur.[3]) — Si cupide discis, multa disces. Quae scis, exercitationis diligentia tuere; quae non didicisti, industria adjunge.[4]) — Neque vero putabis curam in aliis prodesse rebus, ad augendam autem virtutem et prudentiam nihil habere virium; neque tam miseram vicem hominum esse judicabis ut, quum artes quasdam ad mansuefaciendas bestias et animos illorum excolendos invenerimus, ipsi nobis ad virtutem nihil afferre adjumenti queamus; sed illud potius tibi persuadeas, institutione et cura cum primis posse animum nostrum adjuvari.[5]) — Sic vero a te ipso maxime incitaberis, si absurdum esse duxeris deteriores praestantioribus dominari, et stolidiores prudentioribus imperare. Nam quo vehementius aliorum inscitiam despexeris, eo diligentius tuum ingenium exercebis.[6]) — Oportet eum, qui recte et decore aetatem suam instituturus pulcrumque vitae fundamentum jacturus est, se prius quam sua curare, neque festinare neque quaerere ut aliis imperet, priusquam suae mentis rectorem invenerit, neque tam gaudere et exsultare reliquis bonis quam iis quae educatione in animo oriuntur. Jam qui hac mente

[1]) Ep. ad Dem. § 40. — [2]) De perm. § 180. — [3]) Ad Dem. § 12. Quanti vero aestimaverit etiam corporis virtutes: *Κάλλος*, *ῥώμην* alias apparet ex Euag. § 22, oratione, qua Euagoram omnibus corporis animique dotibus exornavit. — [4]) Ad Dem. 18. — [5]) Ad Nic. § 12. — [6]) Ad Nic. § 14.

sint, quomodo non potius sunt laudandi quam vituperandi, aequaliumque optimi prudentissimique habendi?[1]) — Qui autem mentem suam negligunt, hi non animadvertunt se id negligere, ut aliis neque rectius sentiant nec meliore fortuna utantur.[2]) — Animum doctrina excultum eo magis praestare inscitiae puta, quod reliqua prava omnes faciunt lucrum inde habentes, haec sola eos etiam damno punit, qui eam habent; saepe enim ei, quem verbis offenderant, rebus poenam dederunt.[3]) — Quae factu sunt turpia, ea ne dictu quidem decora esse puta.[4]) — Quidquid dicturus es, prius apud animum tuum expende, multorum enim lingua cogitationi antevertit. Duo tibi tempora loquendi constitue, alterum de rebus, quas exploratas habes, alterum de quibus dicere necesse est. In his enim solis loqui praestat quam tacere; in reliquis vero satius est tacere quam loqui.[5]) — Fac adsuescas non vultu esse moroso, sed mente collecta; per illud enim insolens, per hoc prudens esse videberis.[6]) — Existima te decere modestiam morum, pudorem, justitiam, temperantiam; his enim omnibus juvenum disciplina contineri videtur.[7]) — Maxime florebis existimatione, si talia te non facere appareat, quae, si alii faciant, reprehendas.[8]) — Sapientes censendi sunt, non qui verbis callidissime digladiari, sed de maximis rebus qui dicere optime possint, neque ii, qui quum ipsi miseri sint, alios tamen beatos se reddituros esse polliceantur, sed qui res adversas aeque ac secundas constanter perferant.[9]) — Otium in vita datum consume in doctrinae audiendae studio; sic enim ab aliis difficulter inventa facile tibi contingĕt addiscere. Didicisse multa multis opibus praestare puta; nam hae celeriter abeunt, scientia per omne aevum apud te manet. Sapientia enim sola bonorum comparatorum immortalis est.“[10]) — Ex his atque ex aliis ad sapientiam pertinentibus, qui conferri possint, locis satis apparet, Isocratem ad hominum animos honestate formandos ingenii indolem et adsuetudinem exercitationemque vel plurimum valere non negasse: sed tamen illa ipsa hominum saluta-

[1]) De permut. § 290. — [2]) De pace § 32. — [3]) Ad Dem. § 33. — [4]) Ad Dem. § 15. — [5]) Ad Dem. § 41. — [6]) Ad Dem. § 16. — [7]) Ad Dem. § 17. — [8]) Ad Dem. § 22. — [9]) Ad Nic. § 35. — [10]) Ad Dem. § 23.

ris institutio unde initium capit, nisi a sapientia? Nimirum ubi de virtute ageretur, quae hominis rationi ac naturae consentanea, quae firma et constans esset et quam secuti homines res suas salvas servarent, eam virtutem in solius summi finis et boni consiliis verti, Isocrati nunquam non persuasum fuit. Sed haec hactenus.

Deinde[1]) inter perfectos et honestos Isocrates recenset eos, qui ita ut decet et ut aequum est, omnes eos quovis tempore tractent, cum quibus aliquid rei habeant, quique aliorum iniquitates et acerbitates aequis animis et facili negotio ferant, sibi ipsis testimonium dare possint, summa cum moderatione et comitate hominibus se usos fuisse. Quo loco justitiam quoque, ut jam supra commemoravimus, in virtutis partibus innumerat,[2]) quandoquidem eam praeter temperantiam tanquam praestantissimam laudat, quam perquam exercitandam esse ubique locorum commonet. Duae principales sunt sententiae, quae Isocratis de justitia definitionem continent: 1. Justus est, qui ab iniquo abhorret et ipse facere despuit, quod in aliis male notavit. 2. Quod lege statutum est, non semper rectum. Leges atque imperium non ab immortalibus data, sed ab hominibus constituta sunt. Quoniam autem leges rectum efficere volunt, eas cognoscere et observare fas est. Ergo justus est, qui legibus obtemperat.[3])

De justitiae usu quae praecepit rhetor citare nunc nostrum erit eaque inter se quam arctissime connexa. „Miror, inquit, si quis putet eos, qui pietatem et justitiam colant, in hoc studio perseverare et manere, quin se deteriore conditione fore praevideant quam improbos, nec futurum arbitrentur, ut ceteris majora beneficia a diis hominibusque impetrent. Ego vero persuasum habeo solos hos iis rebus antecellere, quae veras utilitates pariant; reliquos falsa quadam et inani specie boni gloriari. Nam qui injustitiam pluris

[1]) Panath. 31. „ἔπειτα τοὺς πρεπόντως καὶ δικαίως ὁμιλοῦντας τοῖς ἀεὶ πλησιάζουσι, καὶ τὰς μὲν τῶν ἄλλων ἀηθίας καὶ βαρύτητας εὐκόλως καὶ ῥαδίως φέροντας, σφᾶς δ' αὐτοὺς ὡς δυνατὸν ἐλαφροτάτους καὶ μετριωτάτους τοῖς συνοῦσι παρέχοντας.“ — [2]) Cfrs. Nic. 29. Panath. 228: alios locos. — [3]) Cf. or. ad Nic. § 2—3, Archid. 34—36. „Officia quaedam apud universos homines recepta a divina potentia imperata esse ei videntur.“ Panath. § 169.

faciunt et summum bonum in eo ponunt, ut alienis opibus potiantur, eos similes esse video feris, quae inescantur, atque initio quidem his quae prehenderint, cum voluptate frui, sed paullo post in maximis esse malis: eos autem qui pietatem et justitiam colunt et perpetuo in tuto esse et de reliquo aevi spatio universo spem habere meliorem. Omnium autem est eorum opinio absurdissima, qui quum honestiorem et deo gratiorem existiment justitiam injuria, eorum qui illa utuntur vitam fore miseriorem censent, quam eorum, qui se improbitati dediderunt.[1]) In primis deos immortales religiose colito, non solum sacra faciens, sed etiam jusjurandum conservans. Illud enim bonorum affluentiae signum, hoc morum probitatis argumentum est. Venerare numen semper quidem, sed maxime cum civibus. Sic enim apparebit simul te et diis sacra facere et legibus parere.[2]) Talis esto erga parentes, quales erga te esse cupias ex te prognatos.[3]) Deum time; parentes honora; amicos verere; legibus obtempera.[4]) Diligentius tuere verba quam pecuniam. Decet enim viros bonos palam ostendere mores, quibus magis quam jurejurando confidamus. Improbis diffidere sicuti fidem habere probis convenire et decere puta.[5]) Jusjurandum delatum propter duas causas suscipe, vel ut te ipsum turpi crimine liberes, vel ut amicos e magnis periculis eripias. Pecuniarum causa per nullum deum jurabis, ne tum quidem, quum liquido juraturus sis; videberis enim aliis perjurare, aliis pecuniarum cupidus esse.[6]) Nemini calamitatem exprobres; communis enim est fortuna, et futura provideri non possunt.[7]) Quae vobis ab aliis fieri aegre fertis, eadem aliis ipsi ne feceritis. Quae verbis accusatis, ea re ipsa ne committatis. Ita vobis actum iri credite ut erga nos affecti fueritis.[8]) Aeque turpe putes, ab inimi-

[1]) Or. de pace § 33—35. — [2]) Ad Dem. 13. „Religio εὐπραξίᾳ nititur. Dii non peccant, rebus humanis consulunt et quaecunque mortalibus accidunt cognita habent.“ Cf. Bus § 41. Areop. 620. De perm. 321. Cic. de rep. III. Deus legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominum aspernabitur; atque hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit. — [3]) Ad Dem. § 14. — [4]) Ad Dem. § 16. — [5]) Ad Dem. § 22. — [6]) Ad Dem. § 23 sq. — [7]) Ad Dem. § 29. — [8]) Nic. § 61.

cis superari maleficiis et ab amicis vinci beneficiis.[1]) Admitte amicorum eos, qui non solum malis tuis moerent, sed etiam bonis tuis non invident; multi enim cum infelicibus quidem amicis dolent, felicibus vero invident.[2]) Adulantes perinde atque fallentes oderis; utrique enim, si fides iis habetur, eos injuria adficiunt, qui fidem habent.[3]) Bonis bene facias.[4]) Nullius negotii improbi neque adjutor neque defensor sis; videberis enim etiam ipse talia facere, qualia facientes alios tuearis. Sic te compara, ut plus possis quam alii; sed aequo contentus esse sustine, ut te justitiam non propter imbecillitatem, sed propter aequitatem expetere appareat. Malis pauper esse et justus, quam dives per injustitiam. Justitia enim tanto praestantior est opibus, ut hae solis viventibus prosint, illa vero etiam mortuis gloriam praestet, ut illae etiam malis contingant, hanc vero improbi nullo modo consequi possint. Neminem eorum aemulare, qui ex injustitia lucrum faciunt, sed potius eos lauda, qui, ut justi sint, jacturam ferunt. Justi enim si nulla re alia injustis praestant, hoc certe sunt superiores, ut optima quaeque de iis sperentur.[5]) Nihil neque sanctum neque honestum est, nisi quod cum justitia et dicatur et fiat.“[6]) Et haec quidem satis. Eaedem sententiae de virtute, praesertim de justitia, felicitatis fundamento, per omnia auctoris scripta dispersae, a nobis hacusque fusius explicatae, etiam ex consiliis iterum iterumque in oratione panegyrica et symmachica repetitis satis patent, quae dedit rhetor ad pacem ineundam et imperium de sociis sponte abdicandum, Graecos ad concordiae conciliandos, ad juste et leniter consulendum in socios, ad leges observandas.[7])

Ceterum Isocrates ad deos colendos eorumque provinciam et

---

[1]) Ad Dem. 26. Hoc non eo quo decet modo Isocrati consideratum artissime cohaeret cum eudaemonistica virtutis conformatione cumque universa ethnicorum vitae ratione. Qua ex re acerba quae fecit Isocrates verba de Lacedaemoniis et de Persis, qualia in Paneg. 111 seqq., 157 seqq., offendunt, explicari possunt. Paneg. § 129 seqq., 184 a. l. se ipsum excusat de eo, quod Athenienses hoc modo corrigere in animo habeat. — [2]) Dem. 26. — [3]) Ad Dem. 30. — [4]) Ad Dem. 29. — [5]) Ad Dem. § 37 seqq. Cf. Nic. 58. — [6]) Panath. § 187. — [7]) Cfrs. Paneg. 78, 104 cet.

voluntatis manifestationem, et ad immortalitatem quod attinet, nihil fere ab hominibus vulgaribus differt, sane a sophistis.[1])

Sequitur ut ad tertiam virtutis partem transeamus. Locus quo ceteri continentur, est hic[2]): „Praeterea (sc. inter prudentes et perfectos viros numerantur), qui semper voluptatibus imperant, et rebus adversis non nimium franguntur, sed in iis et officii humani et naturae virilis, qua nati sint, meminerunt;“ unde intelligitur, Isocratem **ἐγκράτειαν**[3]) cum *ἀνδρίᾳ* (patientiam sive modestiam cum natura virili) conjunxisse. Laudi autem bellicae non magnam dignitatem tribuit, quippe quae etiam apud inhonestos inveniatur.[4]) Sed lubet inter locos, quibus de hac virtute agitur, numerare hos: „Quas res in animum dominari nefas est, eas omnes da operam ut tuo imperio contineas, lucri cupidinem, iram, voluptatem, dolorem. Hoc tibi continget, si lucrum esse id putaveris, quo gloriam, non quo opes consecuturus sis; si ad iram concitatus talem te praebeas peccantibus, quales tibi peccanti etiam alios se praebere cupias; in oblectationibus si turpe duxeris, quum servis tuis imperes, voluptatibus servire; in rebus adversis si aliorum calamitates inspicias et te ipsum hominem esse recorderis.[5]) Ama bonorum tuorum non immensum cumulum, sed moderatum fructum.[6]) Magni facias opes quas habes duas ob causas, et ut magnam mulctam luere, et ut strenuo amico infelici opem ferre possis; ad reliquos in vita usus ne supra modum, sed moderate eas ama.[7]) Luxum captantis est modum excedere.[8]) Maxime tibi cave in coetibus compotantium; tali tempore,

---

[1]) Vide: Dem. 50, Bus. 38—43, Paneg. 31, 38, Euag. 2, 14, 15, 70, 21, 25, Phil. 134, 150, Plat. 61, Archid. 59, Panath. 186, Isocr. ad Nic. 37 „*Μὴ περιίδῃς τὴν σαὐτοῦ φύσιν ἅπασαν ἅμα διαλυθεῖσαν ἀλλ' ἐπειδὴ θνητοῦ σώματος ἔτυχες, πειρῶ τῆς ψυχῆς ἀθάνατον μνήμην καταλιπεῖν.*“ Cf. Plin. epp. IX, 3 alia sexcenta. — [2]) Panath. 31 „*ἔτι τοὺς τῶν μὲν ἡδονῶν ἀεὶ κρατοῦντας, τῶν δὲ συμφορῶν μὴ λίαν ἡττωμένους, ἀλλ' ἀνδρωδῶς ἐν αὐταῖς διακειμένους καὶ τῆς φύσεως ἀξίως ἧς μετέχοντες τυγχάνομεν.*“ — [3]) Hanc virtutem significat Noster Nic. § 43 seq. Hel. § 31. — [4]) Cfrs. Nic. § 43 seq. Paneg. § 167—198. Panath. 197. — [5]) Or. ad Dem. § 21. *Ὑφ' ὧν κρατεῖσθαι τὴν ψυχὴν αἰσχρόν, τούτων ἐγκράτειαν ἄσκει πάντων κ. τ. λ.* — [6]) Ad Dem. § 27. — [7]) Ad Dem. § 28. — [8]) Ad Dem. § 27.

si quando tibi acciderit, surgito ante ebrietatem.[1]) Nihil rerum humanarum firmum esse existima. Sic enim fiet, ut neque in rebus secundis laetitia exsultes, neque in adversis nimio dolore conficiaris. Gaude quidem, quum tibi bona, et dole moderate, quum tibi mala acciderint; sed neutrum reliqui sentiant homines. Absurdum enim esset, domi opes occultare et animo aperto obambulare.[2]) Maxime quidem da operam, ut in tuto vivas; sed si quando tibi acciderit esse in periculo, in bello salutem quaere ita, ut gloriam consequaris, non cum infamia. Fatum enim omnes ad mortem damnavit; honeste vero mortem oppetere, id bonis viris proprium natura concessit.[3]) Sibimet ipsi cuique ante omnia imperandum est, eorumque quaerenda consuetudo, qui maximo cuique ornamento sint.[4]) In factis non magis quam in verbis nihil non vitiosi cavendum est; temeritas vero tarditate saepe perniciosior est.[5]) Gravitas conjungenda est cum urbanitate, ita tamen, ut et arrogantia et humilitas fugiatur."[6]) Quum temeritas quasi fons esset, unde omnes emanarent calamitates, ad **σωφροσύνης** studium convertendos esse hominum animos, in virtute ipsa omnem salutis et beatitudinis spem esse positam existimabat. De qua virtutum gravissima restat ut paucis absolvamus. Erat Isocrati haec: „Quarto, inquit,[7]) *πεπαιδευμένους καὶ τελείους* i. e. vere excultos et perfectos voco, qui secundis rebus, quod maximum est, non corrumpuntur neque a semet ipsis discedunt neque animis efferuntur, sed moderationem prudentium virorum propriam retinent, nec magis fortunae muneribus quam natura insitis ingenii et prudentiae insignibus delectantur." Summam igitur aequabilitatem et moderationem omnibus in rebus ut ostendamus monet scriptor, quam facultatem **σωφροσύνην** i. e. artem sibi imperandi vocat. De cujus in vita usu ipsum praecipientem facimus: „Abjectis animis non eos

---

[1]) Ad Dem. § 32. — [2]) Ad Dem. § 42. — [3]) Ad Dem. § 43. Cf. 37. Nic. 2, 59, 36 seqq. Laud. Hel. 58. — [4]) Ad Nic. § 29. — [5]) Ad Nic. 33. [6]) Ad Nic. 34. — [7]) Panath. § 32. „*τέταρτον, ὅπερ μέγιστον, τοὺς μὴ διαφθειρομένους ὑπὸ τῶν εὐπραγιῶν μηδ' ἐξισταμένους αὑτῶν μηδ' ὑπερηφάνους γιγνομένους, ἀλλ' ἐμμένοντας τῇ τάξει τῇ τῶν εὖ φρονούντων, καὶ μὴ μᾶλλον χαίροντας τοῖς διὰ τύχην ὑπάρξασιν ἀγαθοῖς ἢ τοῖς διὰ τὴν αὑτῶν φύσιν καὶ φρόνησιν ἐξ ἀρχῆς γιγνομένοις.*"

esse decet, qui juris sui defendendi causa pericula sunt adituri; illos potius timere sibi decet, qui elati superbia res secundas moderate ferre non possunt.[1]) Oportet eum, qui recte et decore aetatem suam instituerit pulcrumque vitae fundamentum jecerit, se prius quam sua curare, neque festinare neque quaerere ut aliis imperet, priusquam suae mentis rectorem invenerit, neque tam gaudere et exsultare reliquis bonis quam iis quae educatione in animo oriuntur. Jam qui hac mente sint, quomodo non potius sunt laudandi quam vituperandi, aequaliumque optimi prudentissimique habendi?"[2]) alia sexcenta; sed haec satis sint, unde intelligatur, quam vim Isocrates temperantiae tribuerit.

Quatuor illis virtutis partibus descriptis pergit ita: „Qui autem non ad horum singula, sed ad haec universa simul animis bene compositis sunt, eos affirmo et prudentes esse et perfectos viros et omnibus virtutibus ornatos."[3]) Virtutem igitur communionem esse arbitratur omnium humanitatis virium, quas probatissimus quisque et honestissimus prae se ferre solet. Quibus de rebus quid habendum sit optime elucet, si paullo accuratius tecum reputes, quid omnino Noster de philosophia docuerit, quam et ut artem quandam bene copioseque de rebus magnificis dicendi, et ut scientiam definit ex quotidiano usu atque experientia haustam. Si igitur justam et necessariam continuitatem desideras, Isocratem id agere statuimus, ut contra sophistas omniumque civium opiniones ac temporum pravas rationes sanam majorum disciplinam defenderet ac finibus suis qui omnino esse deberent comprehenderet; nec disserendi via quam ingressus erat ejusmodi fuit, ut notiones ac sententiae, quas ubique concluderet, plano quodam et continuo ordine sese inter se exciperent. Scilicet quod pertinet ad fines bonorum, ad virtutes et animi nostri officia, ad rerum humanarum salutem, ad deorum cultum atque immortalitatem, quibus rebus omnibus homines a voluptate

---

[1]) Archid. § 36. — [2]) De permut. § 290. Cf. Areop. 4 sqq. Panath. 197. — [3]) Panath. § 32. „*Τοὺς δὲ μὴ μόνον πρὸς ἓν τούτων, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπαντα ταῦτα τὴν ἕξιν τῆς ψυχῆς εὐάρμοστον ἔχοντας, τούτους φημὶ καὶ φρονίμους εἶναι καὶ τελέους ἄνδρας καὶ πάσας ἔχειν τὰς ἀρετάς.*"

revocentur, Isocrates rem suam haudquaquam dubiam reliquit neque neglexit, qua cogitandi ratione moralis disciplinae principia contexeremus. Jamjam si quaeras, quem ad finem ejus praecepta nos deducant, respondebimus: ad beatam vitam, quae quidem omnium generis humani studiorum extremus finis est. Versatur autem in bonorum juste partorum possessione, quae in mentis nostrae et animi virium apta convenientia i. e. in virtute nititur.[1]) Civilis igitur disciplinae et artis perito propositum esse dicit, ut cives assequantur quae ad ipsorum salutem atque beatam vitam attineant. Quae res quum non in florenti quadam fortuna vel opulentia, sed in aequitatis, justitiae omnisque honestatis cognitione et perfunctione, inprimis in temperantiae usu constent, salutem ac beatitudinis parandae artem ad sapientiam redire manifestum fit. Quae ratio postquam eo deducta est, ut neque opes et commoda ad beatitudinem faciant, neque injuste facta homini utilitati esse possint, cives, inprimis principes rerum gerendarum peritos et magistratus, ne a recta agendi via aberrent neve in rebus agendis aut populi aut ipsorum arbitria et voluptates spectent, etiam atque etiam monet. Quocunque te vertis, inquit, quascunque vitae partes ac rationes sequeris, ad beate vivendum nil relinquitur, nisi ut facultates quae in te sint, bona quae natura tibi vel fortuna obtulerit, denique quae tua ipsius opera atque industria comparaveris, ad idem rationis imperium revoces, unde, quae ubique perfecta et absoluta reperiuntur, apta et suspensa sunt. Quod imperium atque consilium ex cognitione veri, boni, pulcri natum efficit, ut animi nostri ac mentis facultates omnesque agendi voluntates rationi subjiciamus; sin minus, nulla nobis neque salus neque beatitudo conceditur. Mentis vero et animi et voluntatum concinnitatem, quae posita est in virtutum partibus bene conjunctis,

---

[1]) Haec est et fuit semper vulgaris hominum proborum opinio. Continetur his: „Diis hominibusque carus est, omnibus bonis ab iis cumulatur is, qui ad virtutis normam vitam dirigat; nam in virtute omnia sunt posita bona.“ Fortuna a beatitudine non secernitur. At haud semper cum virtute beatitudinem conjunctam esse Isocrates perspectum habet. Dicit enim: „καὶ ταῦτ᾽ εἰ μὴ κατὰ πάντων εἴθισται συμβαίνειν, ἀλλὰ τό γ᾽ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτον γίγνεται τὸν τρόπον.“ Or. de pace § 35.

si ita tuearis, ut in suis quaeque facultas versetur finibus, eam assequeris agendi et dicendi rationem, qua fieri inter omnes constat, quae rectum et justum in modum fiant. Quid plura? Sanum fuisse Isocratis de vita, de rerum conditione judicium, ejus scripta satis demonstrant, sive quid de rebus politicis judicaverit legis, sive sententiarum ipsarum veritatem respicis. Neque vero hoc ita accipi velim, quasi Isocratem, quantum ad philosophiam, de rerum natura causisque per se, ut dicunt, investigandis et propensum et idoneum fuisse contendam. Non enim fuit verus philosophus, verum bonus orator et virtutis praeceptor, habuit egregia philosophorum placita bene quidem intellecta, sed unice ad vitam publicam sive actuosam conformata.[1]) Utcunque res se habet, Nostri orationes justitiae fundamento niti veritatique consentaneas esse cum Dionysio Halicarnassensi[2]) laudandum nobis erit. Deinde, si quidem scripta vere sunt effigies scribentium, orationes Isocrateae sui prudentiam, humanitatem, probitatem scriptoris omnino demonstrant. Ubique enim commendantur σοφία, φρόνησις, τὸ εὐφρονεῖν, σωφρονεῖν, ἐπιστήμη, φιλομαθία, διάνοια, δικαιοσύνη, ὁσιότης, εὐσέβεια, θεράπεια, ἐγκράτεια, ἐπιείκεια, ἀνδρία, εὐθυμία, σωφροσύνη, καλοκἀγαθία etc., dum contraria ἄγνοια, ἀπειρία, ἀμαθία, ἀμουσία, ἀπαιδευσία; ἀδικία, ἀνομία, ἀσέβεια, ἀκράτεια, λύπη; ἀμετρία, ἡδονή, τέρψις, πλεονεξία, κέρδος, ὑπερβασία, ὑπερηφανία, ὕβρις, κακοκἀγαθία — alia, — ut vitia perniciosissima spernuntur. Penes sapientiam, justitiam, temperantiam, quam sequi solet fortitudo, ad quas qualescunque sunt virtutes omnes Isocrati referuntur, totius animi imperium est. σωφροσύνη[3]) vero tota ex animi sive partium sive facultatum concordia et harmonia est apta; δικαιοσύνη efficitur, ubi suas quaeque facultas rationes persequitur, itaque hominem secum ipsum concordem et sibi constantem reddit. Sapientia denique quum efficiat, ut optimum quidque assequamur, ad suum cujusque animum concinnandum referenda est, ita ut, quae-

---

[1]) Cfrs. mus. att. ed. Car. Wiel. introd. I, 1, p. XIX seqq. — [2]) Isocr. jud. cap. IV. Cf. Oncken diss. p. 1—4. — [3]) Cf. Cic. de off. 27, 93. Tusc. quaestt. III, 8, 16.

cunque et privatim et publice gesseris, habeas *ἕξιν τῆς ψυχῆς εὐάρμοστον.*[1]) Postquam haec exposui, jam reliquum est, ut, quantum ad nos, de Isocratis arte politica, quam brevissime potero, agam. Isocratem rerum civilium sive civitatis gerendae peritum non fuisse sunt qui dicant.[2]) Neque immerito. In privatae enim vitae finibus atque in schola inclusus[3]) quum res politicas non ipse expertus sciret, non mirandum est, quod haud raro de publicis rebus perperam judicavit.[4]) Quam incertus et varius in politica arte ipsa fuerit, manifestissime patet ex oratione ad Nicoclem ad regiam potestatem celebrandam scripta, deinde demonstratur instituenda or. de perm. §§ 69 seqq. cum Nic. § 31 et Paneg. § 52 comparatione, quibus locis partim a populi,[5]) partim ab optimatium partibus stetisse Isocratem comprobatur. Illud vituperantes hoc collaudare debemus, reipublicae administrandae optimos semper viros admovendos esse eum docuisse. Qua de causa exhortatur gubernantes et gubernatos, ut necessarias sibi colligant scientias, virtutem colant et justitiam, regentes imprimis, ut civibus hac in re superiores bonum exemplum edere salutemque parare quam maxime enitantur.[6]) Ante omnia autem id egit, ut pacem confirmaret, confirmatam conservaret. Qua re commotus Atheniensibus suasit,[7]) ut rempublicam ex Solonis et Clisthenis institutis administrarent, areopagum vero in pristina jura et privilegia revocarent. Severum et castitatis et aequitatis amorem majores exhibuisse, quod deorum cultum diligentissime servandum, et domesticarum et forensium, et internarum et externarum rerum conditionem sancte curaverint etc. Sed etiamsi hoc fieri potuisse concedamus,

---

1) Cicero: „Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese quique in se uno sua ponit omnia.“ — 2) Nieb., Mueller hist. gr. litt., Spengel alii. — 3) Cfrs. Panath. §§ 9 sq. 11 sq. Phil. § 81. De perm. 19, 129, 189, 191. Dion. p. 535, 6 et 8. Plut. p. 837 A., 838 D. E., 486 b. (Bekk) Anon. 254, 32. Philostr. vitt. soph. I, 17 (1, p. 504). Quod procul a reipublicae consuetudine vixit, vide: De perm. §§ 27, 82, 150 seq., 152, 238. Paus. I, 18, 8. Cic. de orat. III., 16, 59. Apsines: Ars rhetorica de prooemio c. I (Walz IX, p. 472, 3). 4) Cf. Sauppe, comment. ant. litt. Nr. 50, p. 406. Ullrich, quaestt. Aristophan. spec. I. (Hamb. 1832.) — 5) Cfrs. Areop. §§ 60, 61, 62—71. — 6) Cfrs. ad Nic. 9 seqq., 31, de pace 91, de perm. 117 sqq. Areop. 22. — 7) In Areopagitico. Cf. impr. 14, 16, 20 seqq., 161. Panath. 143 seqq., 138, 153 seqq.

ut Areopago eadem administrandae reipublicae, quam Solonis temporis habuerat, redderetur, quomodo quaeso rhetor noster labem reipublicae tunc temporis reprimendam non fuisse perspicere non potuit?[1]) Nam respublica tam fuit corrupta ac depravata, ut nihil effrenatae plebis licentiae resistere posset. Verum rhetori nihil est arduum, nihil molestum. Qui aliis falso saepe de rerum statu et de hominibus judicio usus persuadere solet, is facile sibi ipsi persuadet, talem ut esse credat Philippum, qualem esse optat. Quo duce ut privatarum simultatum immemores bellum Persis inferrent, omnes adducere Graecos cupiebat. Quae quanta fuerit temeritas, historia docet.[2]) Deinde, ut ad finem hanc rem adducam, si mittimus, quod Isocrates reipublicae formam civitatis esse animam ratus rerum ordinem inverterit, hanc causam deprehendimus gravissimam, cur haud sibi illum constantem fuisse dicamus, quod quum civitatis nisi exanimatae formae subjicere se neget, tamen reipublicae salutem non in legum multitudine, verum in civium justitiae studio positam esse declarat.[3]) Jam his vitiis si addamus praeterea, quod semper sui amans de se et de suis studiis plus justo gloriatus est, vanissimum Isocratem fuisse hominem jure non existimabimus.[4]) Quae vero de eloquentia sive de philosophia et colendis literis sive de regenda atque in meliorem statum promovenda republica praecepta dedit, saepius quamquam magnam et morum et status reipublicae inscitiam prae se ferunt, tamen studiis rhetoricis doctrina atque scientia subactum eum attulisse ingenium ejusque orationes utilissimis et vitae publicae et privatae praeceptis circumfluere atque

---

1) Cfrs. Niebuhr: scholae de hist. ant. hab. III, p. 232. — 2) Cfrs. Benseler: Praef. ad Phil. Niebuhr II, 365, II, 396. Et Isocrates ipse imprudentiam suam intellexisse videtur dicens: *Αἰσθάνομαι γάρ σε διαβαλλόμενον ὑπὸ τῶν σοὶ μὲν φθονούντων, τὰς δὲ πόλεις τὰς ἑαυτῶν εἰθισμένους εἰς ταραχὰς καθιστάναι κ. τ. λ.* Phil. § 73. — 3) Cf. Areop. § 39 seqq. — 4) Niebuhrius omnibus scriptorem contumeliis exagitavit. Nominat enim eum: ‘Erzvater aller Sophisten und Declamatoren’ II. 73. ‘Urvater aller rhetor. Declamatorik’ II. 238. ‘armseligen Kopf — hominem umbratilem’ II. 299. ‘schlechten und kümmerlichen Schriftsteller; einen der gedankenlosesten, armseligsten Geister’ II. 404. ‘Sauppius in Zimmerm. diario a. h. s. XXXV.’ Niebuhrio assentitur. Contra dicit C. M. Wielandius in praef. Paneg. p. q. (Museum atticum I. 1.)

abundare judicamus.[1]) Multa igitur ex parte Niebuhrii, Spengelii, aliorum acerbissimorum Isocratis judicum, injustae immeritaeque sunt vituperationes, cum non modo ad inventionem quod attinet, verum ad elocutionem maxima ex parte summis laudibus dignus habendus sit.

Sed haec quidem hactenus, finemque belle facio scriptioni meae, additis Orellii, viri in excutiendis atque investigandis quaestionibus de graecis rhetoribus non improbanda auctoritate, quibus egregie rhetoris causam tuitus videtur, verbis[2]): Mitten in allen Stürmen, die über Hellas ergingen, blieb sich Isokrates ein Jahrhundert hindurch im Leben und im Ueben der Kunst gleich. Mit Thatkraft in die Wirklichkeit einzutreten blieb ihm versagt, und sich je, gleich Demosthenes, zu rühmen, von Athen die Gefahr ὥσπερ νέφος abgewandt zu haben. Nur wenn er seiner Sphäre vergaß, konnte er klagen, er habe durch seine Reden nichts ausgerichtet.[3]) Aber, nachdem er begeistert durch die ihm vorschwebenden Ideale sich über sich selbst emporgeschwungen[4]) und einen festen Lebenszweck ergriffen hatte,[5]) verharrte er unwandelbar in dem Bestreben, Eintrachtssinn, Vaterlandsliebe in den Gemüthern der Hellenen anzuhauchen, höhere politische Ideen zu verbreiten, und, was vielleicht auf einer Täuschung beruhte, aber doch beinahe von ihm erreicht wurde, 'die Beredtsamkeit zu einer freien, von individuellen Zwecken unabhängigen Kunst zu erheben.'[6])

---

[1]) Cfrs. Dav. Ruhnkenii oratt., dissertt., epistt. ed. Friedemanni I. p. 322. sq. Isocr. epist. ad Mytilenaeorum magistratus § 7. Dion. Halic. de ant. oratt.: 'Maxime autem excelluit Isocrates in rerum delectu, quas oratione explicaret, et in argumentorum pulcritudine ac dignitate, quibus eloquentiam suam exerceret. Ex quo fit, ut ejus studiosi non modo ad recte dicendum, sed etiam ad recte vivendum idonei fiant, suaeque familiae ac civitati admodum utiles. Praestantissima enim in orationibus Isocrates virtutis praecepta reperiuntur. Ac si quis non partem aliquam, sed universam regendae reipublicae rationem tenere voluerit, illi ego auctor sum, ut oratorem hunc prae manibus habeat.'

[2]) Orellius: excurs. ad orat. de permut. extr. — [3]) ad Phil. — [4]) Dion. Hal. 'Ἰσοκράτης ἐν τοῖς μεγάλοις — θαυμαστὸν διώκων'. — [5]) Panath. prooemium. Aristoph. vesp. 1422. Cic. de or. I. 6. — [6]) adnotatio Orelliana: „Dies scheint mir der Hauptzweck aller Bestrebungen des Isokrates und die Prüfung, inwiefern er dazu gelangt sei, dasjenige, wovon die Beurtheilung

seiner Manier überhaupt, und seiner einzelnen Schriften ausgehen soll. Etwas ungerecht ist die freilich nur hingeworfene Aeußerung Cicero's (de orat. III. 35): ipse Aristoteles, cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae: denn Isokrates begründet edle Gesinnungen im Gemüthe, ergreift die Phantasie, und sein Schreiben ist zwar eine beständige Epideixis, aber auch nichts weniger als: „graeci alicujus quotidiana loquacitas sine usu, et ex scholis cantilena.“ (Cic. de orat. I. 23). Von der Weissagung im Phädrus erfüllte er den Theil, welchen die Natur ihm vergönnte, den andern keiner als Plato selbst.“

Theses.

I. Mart. epigr. XII. 62. 4. conjecturam Heinsii, scribentis „sed sibi," vulgatae „sed sita" multo praeferendam esse duco.

II. Eurip. Hec. v. 504 (ed. Nauck.) recte mihi conjecisse videtur M. Seyffertus (Mus. Rhen. tom. XVII. pag. 48): *'Αγαμέμνονος πέμψαντος, ὦ γύναι, με σοί.*

III. Q. T. Cic. de petit. consul. ad M. Fr. § 20 quod proposuit Buechelerus (Mus. Rhen. vol. XII. pag. 602): „discriptum" melius non est, quam quod Klotzius legit: „descriptum."

IV. Soph. Oed. tyr. v. 199 sq. (ed. Schneidew.) aptissime legitur:

τελεῖν γάρ, εἴ τι νὺξ ἀφῇ,
τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται.

V. Ii qui Isocratis dicendi genus, quod careat gravitate Demosthenica, despiciunt, reprehendendi sunt.

Vita.

Natus sum Robertus Schandau Silesius Lignicii a. h. s. XLIII. die XIX. mensis Martis patre Vincencio matre Henrietta e gente Bohniana: qui parentes optimi adhuc optima florentes valetudine ut diutissime nobis serventur in dies cum fratre meo oro et precor. Fidei addictus sum catholicae.

Primis pueritiae disciplinis a sexto aetatis anno usque ad duodecimum in schola publica eruditus adii gymnasium oppidanum in ordinem discipulorum sextum receptus. Gymnasium hocce tunc floruit doct. Ed. Muellero, directore praeclare merito, non minus doctrina quam humanitate excellente, nunc sub Güthlingii viri doctissimi auspiciis dirigitur. Maturitatis, quod dicunt, testimonio exornatus a. h. s. LXIV. pasch. temp. Vratislaviam quum pervenissem, medicinae studendi consilio propter argenti inopiam mutato, in alma hac universitate ab ill. Grube tunc rectore magnifico inter cives academicos receptus ill. Frankenheim ordinis philosophorum id temporis decano maxime spectabili nomen professus sum. Denuo a. h. s. LXVIII. d. XX. m. Oct. a V. Ill. Raebiger, qui adhuc fasces tenet academicos, civibus Viadrinae adscriptus sum nomenque rite dedi apud V. Ill. Rossbach decanum spectatissimum.

Lectionibus interfui horum virorum illustrissimorum, admodum reverendorum: Braniss, Bernays, Elvenich, Hertz, Junkmann, Neumann, Rossbach, Reinkens, Rückert, Reifferscheid, Stenzler, Tellkampf, Karow, Rumpelt, Scherner, Haase, cujus immortales laudes in toto literarum antiquarum campo partas clarissima, quae ipsius ingenii sollertiae ac doctrinae profunditatis florent, monumenta ipsa praedicant et ad omnem posteritatem propagabunt.

Quibus omnibus viris optime de me meritis semper gratum habebo animum et quantum potero praestare etiam conabor. Maximas vero gratias debeo Ill. Rossbach, Hertz.

Praecipue autem ill. Rossbach, qui in studiis consilio suo privatim quoque me adjuvit benevolentissime, ex intimo animo semper, ut par est, gratiam habebo. Nec silentio possum praetermittere, quantum fructum ceperim ex exercitationibus proseminarii et seminarii regii philologici, quorum non rite quidem sodalis ordinarius, attamen per septem semestria particeps fui. Ex quibus didici, qua via ac ratione ad studiorum philologicorum penetralia descendendum. Ac per unum semestre archaeologicae societatis conventus, quos vir Ill. Rossbach regit, frequentavi, qua ex re non minus utilitatis quam voluptatis percepi.

Sed merito subirem ingrati impiique crimen, si hoc loco mentionem non facerem beneficiorum, quae in me contulerunt et patriae urbis senatores et Lud. Gitzler V. Cl. Quorum benevolentiae recordans ex animi sententia quam maximas gratias mihi agendas fateor.

Denique nullum sanctius mihi restat officium, quam ut commemorem, quantam erga me praestiterit benevolentiam ac benignitatem Alb. Theod. Middeldorpf med. prof., cujus viri humanitatem ac liberalitatem, severitatem ac gravitatem quisque qui eum cognoverit saepissime perspectas habuit. Ille enim vir cl., in cujus domum familiamque receptus liberorum institutionem per unius anni spatium usque ad mensem Jul. a. h. s. LXVII. moderatus essem, inde usque ad extremum spiritum rebus ad vitam bene sustentandam necessariis adjuvare me non desierat. Praematura morte abreptum pia semper prosequamur memoria.

Quibus peractis, studiorum meorum primitiae in lucem prolatae ut serena fronte a benevolis existimatoribus excipiantur, oro et obsecro.